
3 1761 03580 7593

QUAESTIONES NONNIANAE

DESUMPTAE E PARAPHRASI SANCTI EVANGELII JOANNEI CAP. XVIII—XIX

QUAESTIONES NONNIANAE

DESUMPTAE E PARAPHRASI SANCTI EVANGELII JOANNEI CAP. XVIII–XIX

DISSERTATIO INAUGURALIS, QUAM EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI LUDOVICI BOLK, MED. DOCT., IN FAC. MED. PROF. ORD., NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI SUBMITTET

ANTONIUS HENRICUS PRELLER
ARNHEMIENSIS

DIE III MENSIS JULII ANNI MCMXVIII HORA III

NOVIOMAGI
N. V. CENTRALE DRUKKERIJ
MCMXVIII


LIBRARY
MAR 14 1966
UNIVERSITY OF TORONTO

PARENTIBUS

Studiis academicis finem facturus grato animo recordor, quantum viris clarissimis Six et Beck debeam, quorum lectionibus interesse mihi contigit et profuit plurimum. Neque unquam fore, ut clarissimorum virorum van Melle, Valeton, Karsten pia memoria eorumque doctrina magna necnon summa erga me benevolentia ex animo excidat, quicunque eorundem eruditione mecum usus est, facile intelleget.

At tu, vir clarissime Kuiper, promotor aestumatissime, singulari prorsus modo discipuli animum tibi devinxisti. Quo enim studio et amore humanitatis atque litterarum graecarum ipse ardes semperque arsisti, eodem discipulorum animas incendere nunquam desinis. Quo factum est, ut graecas litteras latinis equidem praeposuerim. Praeterea ordinis, cujus sum, clerici studiorumque ratione habita, ut in Nonno christiano, evangelii Joannei paraphrasta, explicando studia inauguralia ponerem, mihi proposuisti et in eo tractando prudenti consilio, summa benevolentia me adjuvisti. Quamobrem pergrato semper animo me tui esse recordaturum profiteor.

Viris clarissimis Boissevain et De Boer, quorum scholis non interfui, ut officiosi erga me fuerunt his diebus, gratiam rependo.

Denique facere non possum, quin maximas gratias agam viro docto Egelie pro summo suo, quod in hoc opusculo conficiendo mihi benevolentissimus praestitit, obsequio et consilio.

CONSPECTUS OPUSCULI.

PRAEFATIO.

Nonnus Panopolitanus, cujus duo, quae supersunt, opera inscribuntur Dionysiacorum L. XLVIII et Paraphrasis evangelii Joannei L. XXI, saeculo post Christum natum quinto vixit [1]. De luxurioso Dionysiacorum poëmate praecipue scripserunt auctores recentiores Marcellus [2], Ludwich [3], Scheindler [4], Tiedke [5], Rigler [6], alii. Id quod ad vocum in Paraphrasi usum attinet, quoad potui, in opusculo comparavi. Unus enim, qui adest, Dionysiacorum index vocum, manuscriptus in bibliotheca Berolinensi asservatur. Paraphrasim tractaverunt praesertim Scheindler [7], Ludwich [8], Tiedke [9], ceteri [10]. Editionem secutus sum Scheindlerianam, utpote meliorem antiquioribus. Hic de codicibus sic judicat: „Ex omnibus libris longe praestantissimus est Laurentianus, quem qui recte criticam in carmine Nonniano exerciturus est, ubique sequetur, nisi si justa aliqua causa retinetur; ad hunc proxime accedit Vaticanus, qui post versum Θ, 113, quo Laurentianus finitur, primum locum obtinet" [11]. N. 1.

---

[1] Cf. n. 71.

[2] Comte de Marcellus, Nonnos, Les Dionysiaques, Paris, Lacroix Comon, 1856.

[3] A. Ludwich, Nonni Pan. Dionysiaca recensuit, Lipsiae, Teubner, 1911; Beiträge zur Kritik des Nonnos v. P., Regimontii, 1873; Rhein. Mus. XLII.

[4] A. Scheindler, Quaestiones Nonnianae, Brunae, 1878; Wiener Stud. II.

[5] H. Tiedke, Hermes XIII; XIV.

[6] D. Rigler, Meletemata Nonniana, Potsdam, 1862.

[7] A. Scheindler, Nonnus, Paraphrasis s. ev. Joannei, Lipsiae, Teubner, 1881; Wiener Stud. 1881; 1882.

[8] A. Ludwich, Beiträge.

[9] H. Tiedke, Nonniana, Berolini, R. Gaertner, 1883; Rhein. Mus. XXXIII.

[10] Köchly, De evangelii Joannei Paraphrasi a Nonno facta dissertatio, Turici, Zürcher et Furrer, 1860; K. Kuiper, De uitweidingen in Nonnus' Paraphrase van het Johannes-evangelie (Verhand. d. Kon. Ak. v. Wetensch., Afd. Letterk. Dl. 37, 1918); praeterea: Baumgarten-Crusius; Fr. Passow; Marcellus; G. Kinkel; R. Janssen.

[11] Ed. Scheindl., praef. XXXIII.

N. 2. Quodsi Paraphrasim comparas cum evangelio, experieris primum Nonnum Joannis vestigiis insistere, ita ut eum solum eodemque versuum ordine circumscribat tam in rebus interpretandis quam praecipue in poëticis descriptionibus. Quamquam enim evangelia synoptica optime novit, iis tamen parce usus est[1]).

De nonniana rerum explicatione Melanchthon: „Nonnus editus est," inquit, „cujus eruditissimum carmen in Johannis Evangelium vice prolixi commentarii esse possit. Ego praedicare non dubito multis locis ab eo me adjutum esse. Speroque fore, ut si alii legerint, fateantur se quoque ex hoc meliores factos. Etenim quamquam ita religiose servavit Nonnus leges *παραφράσεως*, ut de suo vix quidquam addiderit Joanni, tamen plerasque sententias mira foelicitate illustravit. Hujus igitur aedificium putemus ex auro constare, qui proxime sequitur archetypum, nec procul ab ipsa historia Evangelii discedit, tamen ut enarret et adferat lucem obscurioribus sententiis"[2]). Plurimi quoque Nonnum aestimat Cornelius a Lapide, qui dicit: „Licet Nonni interpretatio proprie tantum sit paraphrasis: tamen multis in locis Evangelii sensum per epitheta indicat et illustrat"[3]).

Profecto tam Nonniana rerum explicatio quam singulare et poëticum Nonni dicendi genus praecipue adjectivorum usu efficitur. Genus enim dicendi grande et saepius inflatum discrimine maximo differt a simplicissima evangelii oratione. Homerum ejusque imitatores poëtas Alexandrinos sectatus, Nonnus mire delectatur nominibus adjectivis iisque eorum more inventis et compositis vel rarissime ab iis adhibitis. Leguntur scripta in Paraphrasi fere 3214 vocabula, quorum ad 1300 sunt epitheta; contra in evangelio Joanneo occurrunt 973 voces, quarum 73 tantummodo adjectiva sunt. Tota autem Paraphrasis altero tanto major est quam evangelium. Facile itaque intellegitur in opusculo nostro adjectiva plerumque tractari.

N. 3. Propositum autem mihi est, ut rationis, qua Nonnus in Paraphrasi utitur, explicandi et circumscribendi specimen darem. Qua de causa duo Paraphrasis capita XVIII et XIX tractanda elegi. Primum de omnibus, quae occurrunt, personis, quae cum Christo supplicio afficiendo commercium habent, acturus sum. De his

---

[1]) Cf. n. 94.

[2]) Melanchthon in dedicatione, editioni Haganoae per Joannem Secerium a. MDXXVII factae praemissa.

[3]) Corn. a. Lap., Comment. in Ev. S. Joannis, Antverpiae, Jac. Meurs, p. 248.

autem sic agam, ut qualis uniuscujusque apud Nonnum sit natura et ingenium ostendatur, praeterea, quae ratio inter singulas personas Christumque intercedat, cernatur. Unde omnes totius Paraphrasis locos, qui ad singulas personas pertinent, contuli, ne morum descriptio manca atque curta videretur. Altero capite ordine dicam de diversis locis insignibus, qui capitibus XVIII—XIX occurrunt ad historiam Domini calamitates haurientis illustrandam idonei. Postremum capite tertio, addam appendicem, quo omnia notatu digna, quae res prioribus capitibus tractatas magis explicant nec tamen easdem ipsa attingunt, disponentur. Hoc modesto dissertationis inauguralis specimine spero fore, ut Nonni christiani fides et religio magis eluceat ejusque evangelii Joannei Paraphrasis aliquanto melius cognoscatur plurisque aestimetur.

CAPUT I.

TRACTANTUR PERSONAE PER CAP. XVIII—XIX OBVIAE.

A.

MARIA VIRGO SPONSUSQUE EJUS JOSEPH.

De Maria, matre Domini, Nonnus, cum evangelistae vestigiis insistere soleat, duos tantum locos habet sicut ipsum evangelium. En paraphrastae verba: N. 4.

Par. II, 8: ἐς εἰλαπίνην δὲ καὶ αὐτὴ
9: παρθενικὴ Χριστοῖο θεητόκος ἵκετο μήτηρ
10: ἀχράντῳ παλάμῃ γαμίης ψαύουσα τραπέζης,
11: παιδοτόκος φυγόδεμνος, ἀεὶ μεθέπουσα χορείην.

17: ἡμιτελῆ δὲ γάμοιο μέθην καὶ ἄοινον ὀπώρην
18: Χριστῷ καὶ δεδαῶτι συνέστιος ἔννεπε μήτηρ·
19: χρηΐζει γάμος οὗτος ἀλεξικάκου σέο φωνῆς·
20: οὐ γὰρ ἐυρραθάμιγγος ἔχει χύσιν ἡδέος οἴνου.
21: καί οἱ Χριστὸς ἔειπε· τί μοι, γύναι, ἠέ σοι αὐτῇ;
22: οὔπω μοι πυμάτης δρόμος ἤλυθε κυκλάδος ὥρης.
23: καὶ Μαρίη [1]) δμώεσσιν ἐκέκλετο τοῦτο τελέσσαι,
24: Χριστὸς ὅπερ λέξειεν [2]).

65: αὐτογόνῳ δὲ
66: παρθένος ὡμάρτησε θεητόκος υἱέι μήτηρ [3]).

XIX, 134: ἐγγύθι δὲ σταυροῖο συνήλυδες ἦσαν ἑταῖροι
135: καὶ Μαρίη, Χριστοῖο θεητόκος· οἷς ἅμα κείνη
136: σύγγονος ἦν Μαρίη καὶ ὁμώνυμος· ἦν δὲ καὶ αὐτὴ
137: Μαγδαληνὴ Μαρίη φιλοδάκρυος. ὡς δὲ τεκοῦσαν
138: Χριστὸς ἴδεν θεόπαιδα καί, ὃν φιλέεσκε μαθητήν,
139: μητέρι μῦθον ἔλεξε· γύναι φιλοπάρθενε μῆτερ,

---

[1]) Cf. n. 57. [2]) Cf. Jo. II, 1—5. [3]) Cf. Jo. II, 12.

140: ἠνίδε παρθένον υἷα. καὶ ἔμπαλιν εἶπε μαθητῇ·
141: ἠνίδε παρθενική, φιλοπάρθενε, σεῖο τεκοῦσα
142: νόσφι τόκου. κείνης δὲ μετὰ δρόμον εὔποδος ὥρης
143: παρθένον εὐώδινα συνέστιον ἔσχε μαθητὴς
144: ἔνδον ἑοῦ μεγάροιο· καὶ ἄσπορος ἔσκε τεκούσης
145: υἱός, ἀνὴρ ἀλόχευτος, ἀπειρώδινος ἀνάσσης [1]).

N. 5. Quod ad ornatum verborum floresque dicendi attinet, quamvis his locis, quibus agitur de Maria, plurima inveniantur poëtarum more, ut ajunt, epitheta, haec tamen omnia id maxime spectant, ut virginis matris Christi dignitatem atque honorem explicent. Nam, ut omittam vocem *συνέστιος* [2]) apud poëtas satis usitatam, cetera ad Mariam sive *θεοτόκον* sive *παρθένον* pertinent.

Vocabulum autem, quo Nonnus significavit Mariam esse Dei matrem, est *θεητόκος*, quippe cum verbum *θεοτόκος* [3]), quod apud scriptores frequens est, metro dactylico carminis non congrueret. Sed nuncupando Christi matrem *θεητόκον* — adhibet autem hanc vocem tantummodo de Maria idque ter [4]) — utitur vocabulo scriptorum ecclesiasticorum atque theologiae proprio. Neque enim apud auctores profanos neque in Dionysiacis occurrit. Sed primus Origenes hac voce usus esse dicitur. Nam Socrates in Historia Ecclesiastica dicit: „*Καὶ Ὠριγένης δὲ ἐν τῷ πρώτῳ τόμῳ τῶν εἰς τὴν πρὸς Ῥωμαίους τοῦ Ἀποστόλου ἐπιστολήν, ἑρμηνεύων πῶς θεοτόκος λέγεται, πλατέως ἐξήτασε*" [5]). Tum deinceps idem vocabulum scriptum videmus apud Alexandrum episcopum Alexandrinum [6]), Ephraem [7]), Cassianum [8]), Cyrillum Alexandrinum [9]), Vincentium Lirinensem [10]). Atqui inter omnes hos convenit Mariam vocandam esse *θεοτόκον* propterea quod, ut ait Cyrillus, „*Θεὸς μὲν ὁ Λόγος ἦν, γέγονε δὲ καὶ ἄνθρωπος· καὶ ἐπειδὴ γεγέννηται κατὰ σάρκα διὰ τὸ ἀνθρώπινον, θεοτόκος ἐστιν ἀναγκαίως ἡ τεκοῦσα αὐτόν. Εἰ γὰρ μὴ γεγέννηκε Θεόν, μηδὲ λεγέσθω Θεὸς ὁ ἐξ αὐτῆς γεννηθείς· εἰ Θεὸν αὐτὸν ὀνομάζουσιν αἱ θεόπνευστοι γραφαί, ὡς Θεὸν ἐνανθρωπήσαντα καὶ σεσαρκωμένον, ἐνανθρωπῆσαι δὲ ἦν οὐχ ἑτέρως, πλὴν ὅτι διὰ γεννήσεως τῆς ἐκ γυναι-*

---

[1]) Cf. Jo. XIX, 25—27.
[2]) Cf. n. 69.
[3]) Cf. n. 70.
[4]) Par. II, 9; 66; XIX, 135.
[5]) M. P. G. LXVII, 812, H. E. VII, 32.
[6]) M. P. G. XVIII, 568.
[7]) Assemani S. P. N. Ephraem Syri opera omnia quae extant, graece, syriace, latine, 3, 200.
[8]) M. P. L. L, 31.
[9]) M. P. G. LXXV, 1400; LXXVII, 13; 176.
[10]) M. P. L. L, 658.

κός, πῶς οὐ θεοτόκος ἡ τεκοῦσα αὐτόν"[1]); Ergo disputatione non eget Nonnum vocabulo θεητόκος, quod a scriptoribus ecclesiasticis mutuatus est, eandem vim atque notionem subjecisse atque illi subjecerunt. Id in Paraphrasi passim quoque patet. Naturas enim maxime inter se distinctas, divinam dico et humanam, tribuit uni Christo, secundum alteram aeterno[2]) e Maria virgine genito secundum alteram. Ergo sicut Christus ab eo vocatur θεὸς ἀνήρ[3]), ita Maria θεητόκος ideo, quod Christum, qui est Deus, secundum naturam humanam genuit.

Abhorret igitur Nonnus a decreto Nestorii, patriarchae Constantinopolitani, quo duos esse Christos, alterum Filium Dei, alterum filium hominis, docet, eaque de causa Mariam non Dei sed hominis matrem, non θεοτόκον sed ἀνθρωποτόκον vel Χριστοτόκον esse nuncupandam. „Ἔτεκεν", inquit, „ἄνθρωπον, θεότητος ὄργανον"[4]). Huic doctrinae opposuit Cyrillus duodecim, ut vocant, anathematismos, quos anno 431 p. Chr. n. concilium Ephesinum confirmavit. Itaque Nonnus propriam vocis θεοτόκος notionem ignorare ipsoque vocabulo temere et inconsulte uti haud potuit. Nam iisdem fere Nestorii et Cyrilli temporibus vixit, quamquam certum non est, utrum ejus Μεταβολή tempore praecesserit anathematismos Cyrilli necne. Incidit enim hoc loco res controversa et plena dissensionis inter doctos, quaestionem dico de definito tempore, quo vixerit scripseritque poëta. Nam cum multi nostrae aetatis viri docti Nonnum circa annum 400 floruisse censeant, alii eum adscribunt tempori, quod est inter annos 440 et 490[5]). Quidquid est, Panopolitanum nostrum re convenire cum Cyrillo dicente: „Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ, Θεὸν εἶναι κατὰ ἀλήθειαν τὸν Ἐμμανουήλ, καὶ διὰ τοῦτο θεοτόκον τὴν ἁγίαν παρθένον· γεγέννηκε γὰρ σαρκικῶς σάρκα γεγονότα τὸν ἐκ Θεοῦ λόγον· ἀνάθεμα ἔστω"[6]), nihil habet dubitationis.

Huc referri potest quaestiuncula de verbo θεόπαις[7]), quod in Paraphrasi est ἅπαξ λεγόμενον. Quaeritur enim, utrum haec vox significet hoc loco „Dei filia" an „quae filium habet Deum".

---

[1]) M. P. G. LXXV, 1400; de Origene cf. E. Neubert, Marie dans l'église Antenicéenne, p. 133—135, Lecoffre, Paris, 1908; de ceteris locos laudatos. Joannes Chrysostomus, quamquam re consentit, voce θεοτόκος nunquam utitur, cf. M. P. G. LIII, 51; LVII, 25; LIX, 130 sq..

[2]) Cf. Par. I, 1 sqq.: υἱὸς ἀμήτωρ.

[3]) Par. I, 39.

[4]) M. P. L. XLVIII, 759.

[5]) Cf. n. 71.

[6]) M. P. G. LXXVI, 296.

[7]) Par. XIX, 138 †.

Utrumque hac voce significari posse quam certissimum est [1]). Nec tamen equidem dubito facere cum Daniele Heinsio in Aristarcho sacro, qui apud Nonnum huic voci notionem „Deipara" vult esse subjectam. Haec enim significatio optime congruit tam locis citatis de Maria quam vocabulis ἀγλαόπαις [2]) et ἀρσενόπαις [3]), quae in Paraphrasi tantum transitive accipi possunt. Accedit quod Sophocles in lexico suo unam tantum hujus vocis interpretationem habet, sc. „whose child is divine" [4]). Inde id saltem efficere mihi videor eum persuasum habere apud scriptores saeculi primi a. Chr. n. usque ad auctores saeculi p. Chr. n. undecimi aliam hujus vocabuli notionem non occurrisse. Tamen video Antonium Ballerinum in vertendo sermone S. Germani, patriarchae Constantinopolitani, in ingressum sanctissimae Deiparae, ubi idem vocabulum scriptum legimus, bis scripsisse „Dei filia" [5]). Cui non assentior.

N. 6. Alterum beneficium matri Domini praecipue datum, in quo confirmando et testificando Nonnus multus est, perpetua atque constans est ejus virginitas [6]). De qua haec habet:

Par. II, 9: *παρθενικὴ Χριστοῖο θεητόκος ἵκετο μήτηρ*
10: *ἀχράντῳ παλάμῃ γαμίης ψαύουσα τραπέζης,*
11: *παιδοτόκος φυγόδεμνος, ἀεὶ μεθέπουσα κορείην.*
66: *παρθένος;* XIX, 139: *φιλόπαρθενε μῆτερ.*
141: *παρθενική... σεῖο τεκοῦσα;* 143: *παρθένον εὐώδινα.*
144: *καὶ ἄσπορος ἔσκε τεκούσης*
145: *υἱός, ἀνὴρ ἀλόχευτος, ἀπειρώδινος ἀνάσσης.*

Quae omnia evincunt Nonno persuasissimum fuisse Mariam virginitatis decus illibatum semper retinuisse. Nec sine causa hoc Mariae privilegium, silente Joannis evangelio, copiosius explicavit et persecutus est. Etenim extremo saeculo quinto Jovinianus „virginitatem Mariae destruebat, dicens eam pariendo fuisse corruptam" [7]), Helvidius autem et Antidicomarianitae Mariam post partum virginem non permansisse sed nupsisse Josepho contendebant [8]). Sed has opiniones satis late diffusas esse inde patet, quod Hieronymus operae pretium esse duxit in singulis a se editis

---

[1]) Cf. n. 72.
[2]) Par. IV, 252; XXI, 91; cf. n. 72. [3]) Par. IV, 55 †; cf. n. 72.
[4]) E. A. Sophocles, Greek lexicon of the Roman and Byzantine periods, s. v. *θεόπαις*.
[5]) M. P. G. XCVIII, 291; 299. [6]) Cf. K. Kuiper, o. l., p. 362 sq..
[7]) M. P. L. XLII, 45, Aug. de Haeres. 82.
[8]) M. P. L. XXIII, 203, Hier. adv. Helv. 19.

libris adversus Jovinianum et adversus Helvidium eas impugnare. Mirum igitur non est paraphrastam perpetuam Dei genitricis virginitatem, praesertim quatenus Maria in ipso Christi partu et post partum virgo permanserit, diserte circumscribere voluisse. Omissis enim vocibus *παιδοτόκος φυγόδεμνος* [1]), quibus conjungendis aperte indicatur virginalis Christi conceptio, imprimis notanda sunt vocabula insignia *εὐώδιν* et *ἀπειρώδιν*, quod posterius vocabulum in Paraphrasi semel tamtummodo legitur [2]). Cum enim vocis *ὠδίς* vis et notio sit „dolores puerperae", transferatur tamen eadem ad ipsum partum sine ulla dolorum significatione, existit quaestio, utrum locis laudatis verbum *ὠδίς* valeat „partus" an „partus dolores".

Nonnus autem Mariam virginem cum *εὐώδινα* tum *ἀπειρώδινα* appellat. Attamen vocabulo posteriori Mariam partus dolores non expertam significatum voluit, quippe quam vocet *θεητόκον, παιδοτόκον, τεκοῦσαν* [3]). Non eodem igitur modo eam *ἀπειρώδινα* appellat, quo in Dionysiacis Minervam [4]), quin etiam Auram a Baccho violatam, quae inducitur

Dion. XLVIII, 798: *νυσσομένη κέντροισιν ἀπειρώδινος ἀνάγκης*, i. e. „percussa aculeis partum nondum expertae necessitatis" [5]). Tales enim dicuntur, quod illa nunquam partum edidit, haec tum primum in eo fuit, ut pareret, antea nunquam. Verum Mariam matrem virginem hoc epitheto celebrat perinde ac Proclus, archiepiscopus Constantinopolitanus [6]), qui Dei genitricem laudibus effert, Filii ejus ortum atque initium nascendi hunc in modum explicando: „*Παρθένοι συντρεχέτωσαν, ὅτι παρθένος ἔτεκεν, οὐχὶ τὴν παρθενίαν αἰσχύνουσα, ἀλλὰ τὴν ἀφθαρσίαν σφραγίσασα. Ἐξῆλθε γὰρ τὸ βρέφος, καὶ ἀκεραίους τοὺς χιτῶνας τῆς γαστρὸς ἀπέλιπε, τοιοῦτον ἀφεὶς ἐν προσθήκῃ τῆς χάριτος, οἷς* [7]) *εὗρε τὸ τῆς φύσεως ἐργαστήριον*" [8]). Et alibi: „*Ἐκεῖνος ἀφράστως* (alii: *ἀφθάρτως*) *ἐγεννήθη, ὁ καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων εἰσελθὼν ἀκωλύτως*" [9]). Tum: „*Παρθενίας δὲ κλεῖθρα οὐ διέρρηξεν ὡς Θεός· ἀλλ' οὕτως ἐκ μήτρας προῆλθεν, ὡς δι' ἀκοῆς εἰσῆλθεν*" [10]). Cui accedunt Cyrillus Alexandrinus: „*Ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ ... πρόεισιν ἐκ τῆς Παρθένου, οὐ*

---

[1]) Par. II, 11; *φυγόδεμνος* Dion. II, 98.
[2]) Par. XIX, 145 †.
[3]) Par. XIX, 137; de voce *αὐτόγονος* Par. II, 65 cf. n. 73.
[4]) Cf. Dion. XVI, 152; XXVII, 110.
[5]) Versio Lubini.
[6]) Annis 434—447.
[7]) Videtur mihi legendum esse *οἷον*.
[8]) M. P. G. LXV, 709.
[9]) M. P. G. LXV, 664.
[10]) M. P. G. LXV, 692.

λύσας τῇ συλλήψει τὴν παρθενικὴν ζώνην, οὐ τῇ γεννήσει διαρρήξας, ἀλλ' ἀκήρατον καὶ ἀνέπαφον διαφυλάξας" [1]), et Joannes Chrysostomus: „Μηδὲ νομίσῃς τὸ πᾶν μεμαθηκέναι, ἐκ Πνεύματος ἀκούων· καὶ γὰρ πολλὰ ἀγνοοῦμεν ἔτι, καὶ τοῦτο μανθάνοντες· οἷον πῶς ἄπειρος ἐν μήτρᾳ ἐστίν·... πῶς τίκτει ἡ παρθένος, καὶ μένει παρθένος" [2]);

Neque contra dici potest vocabulum ἀπειρώδιν non latius patere quam „partus dolores non experta" ideoque Mariam e naturae legibus Filium peperisse, mirum in modum doloribus tantum sublatis. Etenim mater Dei, postquam partum edidit, plane et aperte a Nonno vocatur παρθενικὴ μήτηρ, ἀεὶ μεθέπουσα κορείην, παρθένος [3]). Ergo, quamquam Filium genuit, virgo permansit. Haud dubie igitur consentit Nonnus cànoni tertio synodi Lateranensis anno 649 coacti: „Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperque Virginem et immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter... absque semine concepisse ex Spiritu sancto, et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit" [4]).

Ex definita vocis Nonnianae ἀπειρώδιν significatione fortasse quispiam duxerit vocabulum εὐώδιν [5]) de Maria virgine dictum idem valere, sc. „partus doloribus felix", i. e. „partus dolores non experta". Attamen, quamquam haec interpretatio ab exquisito paraphrastae genere dicendi non abhorret, ceteris locis, ubi vocabulum εὐώδιν [6]) occurrit, consentanea non est. Nam

Par. I, 155: σύγγονον εὐώδινος ἐρευνητῆρα θαλάσσης probabile est,

Par. I, 170: εἰς πόλιν εὐώδινα τανυπλοκάμων Γαλιλαίων certum est vim hujus vocis translatam esse ita, ut notio doloris, qui significatur voce ὠδίς, penitus evanescat. Primus enim locus probabilius vertitur: „fratrem fertilis investigatorem maris" [7]). Quod autem attinet ad alterum, sive vertas cum Heinsio: „ad civitatem piscosam" [8]) sive malis: „ad civitatem partu (hominum) felicem

---

[1]) M. P. G. LXXV, 1460 sq..

[2]) M. P. G. LIII, 51.

[3]) Par. II, 9; 11; 66; XIX, 143.

[4]) Cf. Von Hefele, Conciliengeschichte, III, p. 224.

[5]) Par. XIX, 143; cf. n. 74.

[6]) Par. I, 155; 170.

[7]) Versio Heinsii.

[8]) Heinsius interpretatus esse videtur nomen proprium Bethsaïda, ביתצידא i. e. domus venationis (marinae), cf. Dion. XIII, 187: εὐώδινος Ἀφίδνης, de quo oppido Marcellus dicit: „célèbre par ses mines d'argent", ed. min. III, p. 195; Dion. XIII, 467: Σάρδιας εὐώδινας.

longos capillos habentium Galilaeorum", quis est, qui cogitet de doloribus partus? Unde patet vocabuli *εὐώδιν* vim in Metaphrasi esse „partu felix", non designatis doloribus.

Omitto voce *εὐώδιν* significari posse eum, qui felici partu editus est, qua significatione in Paraphrasi admissa contextum orationis Nonnianae plane corruere incurrit in oculos. Neque fieri mihi posse videtur, ut quis, ratione habita sententiarum laudatarum, vocibus *εὐώδιν* et *ἀπειρώδιν* significari putet Mariam sine partu Joannis matrem extitisse. Omnia enim eo spectant, ut poëta, quod ad Mariae virginitatem illibatam attinet, nonnisi de ipsa deque Filio ejus Christo Domino agere videatur. Profecto paraphrasta verba *ἄσπορος*[1]), *ἀλόχευτος*[2]) more poëtarum addidit, ut planum faceret Joannem, utpote qui *ἀνήρ* i. e. vir adultus esset, non nisi per abusionem Mariae filium nuncupari. Verumtamen hoc, quod res ipsa monet, addere ridiculum erat, ni hunc filium per abusionem dictum opponeret vere Filio Christo a Maria matre eaque virgine edito.

In verbis denique ceteris horum commatum, puta *κορείην*[3]), *φιλοπάρθενε μῆτερ*[4]), sive in versu interpretando

Par. II, 10: *ἀχράντῳ παλάμῃ γαμίης ψαύουσα τραπέζης*,

quo virginitas more poëtico opponitur conjugio, non est, cur hoc loco immoremur.

Cum quaestione de virginitate Mariae arte conjuncta sunt ea, quae Nonnus habet de Josepho, matris virginis sponso. Sunt autem haec: N. 7.

Par. I. 182: *Ἰησοῦν ὁσίοιο βοώμενον υἱὸν Ἰωσήφ,*
183: *Ναζαρὲθ ναετῆρα, θεοῦ γόνον*[5]).
VII, 8: • *ἀγχίμολοι δὲ*
9: *γνωτοὶ ψευδαλέοι τετράζυγες υἷες Ἰωσήφ*[6]).

Desideratur in Paraphrasi tertius evangelii de Josepho locus, ubi legimus: *οὐχ οὗτος ἐστιν Ἰησοῦς ὁ υἱὸς Ἰωσήφ, οὗ ἡμεῖς οἴδαμεν τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα*[7]); quippe cum in manuscriptis Paraphrasis descriptio totius loci Jo. VI, 41—54 desit. Quam deesse ipse librarius in codice Marciano indicavit, spatio complurium versuum non expleto. De hac lacuna ceterisque hujusmodi recte Köchly: „Paraphrasim", inquit, „lacunis deturpatam esse interrupta verborum rerumque continuitas aliquot locis tam aperte clamat,

---

[1]) Par. XIX, 144; praeterea III, 28; XII, 97.
[2]) Par. XIX, 145 †.
[3]) Par. II, 11 †; Dion. II, 156.
[4]) Par. XIX, 139; *φιλοπάρθενος* Dion. II, 122; 146.
[5]) Cf. Jo. I, 45.
[6]) Cf. Jo. VII, 3, ubi Josephi mentio non fit.
[7]) Jo. VI, 42.

ut eos simpliciter enumerasse sufficiat. Longissima quidem lacuna est post 6, v. 163, qui versus ὑστατίης ὅτε φέγγος ἐλεύσεται ἠριγενείης bis fere idem positus in causa fuit, ut intermedia respondentia evangelii versibus 6, 41—54 errore omitterentur"[1]).

N. 8. Quae sit Josephi indoles et quae ratio intercedat ei cum Maria, describit Nonnus uno tantum vocabulo adhibito nempe ὅσιος[2]), quod significat „id quod est secundum jus divinum", „sanctus", „justus". Hoc nomine justi appellatur Joseph a Matthaeo[3]), eodem persaepe in Historia Josephi fabri lignarii, ut: „Quaeramus virum justum (et) pium, cui committatur Maria usque ad tempus nuptiarum"; tum: „Cecidit autem sors super senem pium, Josephum justum"; denique: „Surgens itaque senex justus Josephus, accepit (secum) Mariam virginem. Et venerunt Bethlehemum"[4]). Ex quo intellegitur paraphrastam loco laudato acceptam ab antiquis opinionem de Josephi justitia secutum esse, sed pro vocabulo δίκαιος, quo utitur Matthaeus, adhibuisse vocem ὅσιος. Hac autem voce poëta consulto usus esse mihi videtur, praesertim cum habeat de Deo Patre: δίκαιε πάτερ, sicut ipse Joannes: πάτερ δίκαιε[5]), neque vocabulum Joanneum δικαιοσύνη[6]) vitaverit. Sed ut apud Matthaeum Joseph Mariae dignitati consuluit ita, ut „nollet eam traducere", „cum esset justus" sc. „δίκαιος ὤν"[7]), sic poëtam pium habitum Josephi sponsi erga sponsam Mariam illustrari voluisse vocabulo magis sacro ὅσιος verisimile est. Unde fit, ut religiose quoque addat vocem βοώμενον ad υἱὸν Ἰωσήφ[8]).

N. 9. Reliquum est, ut agam de fratribus, qui dicuntur, Domini. Loci autem, qui huc spectant, sunt[9]):

Par. II, 65: αὐτὸς ὁμοῦ γνωτοί τε συνήλυθες.
VII, 9: γνωτοὶ ψευδαλέοι τετράζυγες υἷες Ἰωσήφ.
21: Χριστοῦ παμμεδέοντος ἀδελφειοί περ ἐόντες.
36: γνωτοὶ δ' ὡς ἀνέβαινον ἐς ἱερόν.

---

[1]) De evangelii Joannei Paraphrasi a Nonno facta dissertatio, p. 8.
[2]) Par. I, 182; cf. n. 75. [3]) Matth. I, 19.
[4]) J. C. Thilo, Codex apocryphus N. T., Hist. Jos. fabri lign., c. III; IV; VII; passim.
[5]) Jo. XVII, 25 = Par. XVII, 87. [7]) Matth. I, 19.
[6]) Jo XVI, 8; 10; cf. Par. XVI, 30; 32. [8]) Par. I, 182.
[9]) Cf. Jo. II, 12; VII, 3; 5; 10; Matth. XII, 46—50; XIII, 55; Marc. III, 31—35; VI, 3; Luc. VIII, 19—21; Act. I, 14.

Ut statim dicam, quid de fratribus Domini Nonnus sentiat, existimat a) eos esse vere filios Josephi, sed b) nequaquam esse fratres Christi nec c) duodecim apostolis adnumerari et d) eos esse numero quatuor.

Eum fratres Domini pro filiis Josephi habuisse declarant verba: τετράζυγες υἷες Ἰωσήφ [1]), quae alio modo explicari non possunt. Hac in re facit cum compluribus scriptoribus ecclesiasticis [2]), Origene, Gregorio Nysseno, Theophylacto, Euthymio, qui Josephum Mariae virginis sponsum e femina prius in matrimonium ducta filios sibi genuisse censent, cum alii, velut Hieronymus, autument fratres Domini consobrinos fuisse [3]). Quin etiam Hieronymus: „Tu dicis", inquit ad Helvidium, „Mariam virginem non permansisse; ego mihi plus vindico, etiam ipsum Joseph virginem fuisse per Mariam .... Magis credendus est virgo permansisse, quia aliam uxorem habuisse non scribitur, et fornicatio in sanctum virum non cadit" [4]).

Deinde poëta, ut est in his rebus religiosus et multus, cavens ne quis evangelii verba ita acciperet, ut aut fratres Domini pro filiis Mariae aut Jesum pro filio Josephi habeat, addit: γνωτοὶ ψευδαλέοι [5]) et: βοώμενον υἱὸν Ἰωσήφ [6]). Huc quoque pertinere videtur, quod

Par. XX, 76: ἀλλὰ κασιγνήτοισιν ἐμοῖς ἀγόρευε μαθηταῖς

post verba: κασιγνήτοισιν ἐμοῖς addidit: μαθηταῖς, quod non legitur in evangelio [7]), scilicet ne quis non de discipulis sed de veris fratribus cogitaret!

Hic autem breviter mihi inquirendum esse videtur, qua ratione poëta adductus sit, ut in quatuor de fratribus Domini locis ter vocabulo γνωτός uteretur, semel tantum ἀδελφειός, quamquam in evangelio his locis legitur ἀδελφός. Jam vero ceteris locis, ubi vox γνωτός [8]) occurrit, perspicuum est Nonno notum fuisse propriam hujus vocis vim esse „id, quod notum est aut cognosci potest", praeterea hoc vocabulo significari posse „fratrem, sororem, cognatum". Etenim

Par. XVIII, 71: ὃς ἰχθυβόλου παρὰ τέχνης
72: γνωτὸς ἐὼν ἀρίδηλος ἐθήμονος ἀρχιερῆος

---

[1]) Par. VII, 9.
[2]) Cf. M. P. G. XIII, 876; XLVI, 648; CXXIII, 801—804; CXXIX, 391; 1155; 1261.
[3]) M. P. L. XXIII, 609; cf. 195 sq..
[4]) M. P. L. XXIII, 201.
[5]) Par. VII, 9; cf. K. Kuiper, o. l., p. 363.
[6]) Par. I, 182.
[7]) Cf. Jo. XX, 17.
[8]) Cf. n. 76.

„discipulus, qui erat n o t u s pontifici"[1]) designatur, sed

Par. XI, 10: *γ ν ω τ α ὶ δ' ἀδρανέοντος ὁμόγνιον ὡς ἴδον ἄμφω;*
67: *γνωτοῖο κατευναστήρια πότμου;*
79: *γ ν ω τ ὸ ς σὸς παλίνορσος ἐγείρεται,*

indicatur consanguinitas inter Lazarum fratrem et sorores Mariam atque Martham[2]). Sic in Dionysiacis Thyphoeus Oceanum et Saturnum *γνωτούς* i. e. fratres appellat[3]). Gaia enim genuit et Thyphoeum et Oceanum et Saturnum. Prudens igitur et sciens poëta, quod ad fratres Domini attinet, usus est vocabulo *γνωτός* latius patente pro voce *ἀδελφός*, quae angustius valet, ut vel verborum delectu significaret fratres, qui dicuntur, Domini vere fratres non esse. Quamobrem verba quoque Joannea: *ἐξῆλθεν οὖν οὗτος ὁ λόγος εἰς τοὺς ἀδελφούς*[4]) sic circumscribit

Par. XXI, 129: *καὶ λόγος οὗτος*
130: *γ ν ω τ ῶ ν ἐξ ἑ τ ά ρ ω ν κρυφίῃ κηρύσσετο φωνῇ.*

Sed quid ei in causa fuit, ut uno loco fratres Domini *ἀ δ ε λ φ ε ι ο ύ ς* vocaret? At patet legenti verborum contextum. Legitur enim

Par. VII, 20: *τοῖα μάτην ἀγόρευον ἀπειθέες οἷαπερ ἄλλοι·*
21: *Χριστοῦ παμμεδέοντος ἀ δ ε λ φ ε ι ο ί π ε ρ ἐ ό ν τ ε ς*
22: *πίστιος ἀπλανὲς ἦθος ἀπηρνήσαντο καὶ αὐτοί.*

Quamquam igitur Josephi filii vulgo dicebantur fratres Jesu, tamen fidem ei non habebant. Atqui voce *γνωτός* adhibita exsanguis factus sermo jam non contraria opponit contrariis.

Tum Nonnus segregat fratres Domini e numero apostolorum

Par. II, 65: *αὐτὸς ὁμοῦ γνωτοί τε συνήλυδες· αὐτογόνῳ δὲ*
66: *παρθένος ὡμάρτησε θεητόκος υἱέι μήτηρ·*
67: *οἷσι δυωδεκάριθμος ὁμόστολος εἶχεν ὁδεύων*
68: *ἀγχιθέων μίαν οἷμον ὀπίστερος ἑσμὸς ἑταίρων.*

Nam fratres discernit a duodenaria turba sociorum, i. e. filios Josephi ab apostolis Christi. Sed tempore nuptiarum Canae celebratarum, de quo agitur loco laudato, Dominus duodecim apostolos nondum elegerat. Quamquam enim evangelium Joanneum solemnem duodecim discipulorum vocationem non commemorat, tamen eandem ceteri evangelistae serius factam esse narrant[5]). Attamen facile intellegitur Nonnum jam tum discipulos, quos vocat

---

[1]) Jo. XVIII, 16, graece: *γνωστός*.
[2]) Cf. Jo. XI, 3; 19; 23, ubi legitur: *ἀδελφή, ἀδελφός*.
[3]) Cf. Dion. II, 276; 338. [4]) Jo. XXI, 23.
[5]) Cf. Matth. IX, 35—X, 4; Marc. III, 17—19; Luc. VI, 12—16.

Joannes [1]), apostolos nuncupasse. Eosdem enim Dominus electurus erat apostolos. Neque eos duodecim fere numero fuisse sine veritatis specie affirmavit. Nam verisimile est Dominum apostolos elegisse ex iis, qui a primis praedicationis temporibus ejus socii fuerant [2]).

Numerus porro fratrum Domini est quatuor, ut patet e verbis: *τετράζυγες* [3]) *υἷες Ἰωσήφ* [4]), quem Nonnus ex evangeliis Matthaei et Marci sumpsit [5]); a quibus Historia quoque Josephi fabri lignarii et numerum et nomina filiorum Josephi mutuatus est [6]). Cum autem nomina fratrum Domini, quae apud Matthaeum sunt *Ἰάκωβος καὶ Ἰωσὴφ καὶ Σίμων καὶ Ἰούδας* in evangelio Joanneo tradita non sint, mirum non est Nonnum quaestionem de singulis fratribus, e quibus tres iisdem nominibus appellantur, quibus tres ex apostolis, data opera tangere non voluisse. Quin etiam de Jacobo Zebedaei et de Jacobo Alphaei apostolis omnino silet, quippe quos neque evangelium Joanneum nominet. Tamen ex iis, quae scripsit, certo effici potest eum tres Jacobos statuisse. In synopticis enim commemorantur 1°: Jacobus Zebedaei [7]); 2°: Jacobus Alphaei [8]); 3°: Jacobus, frater Domini [9]). De his veteres scriptores ecclesiastici dissentiunt, utrum Jacobus Alphaei, apostolus, et Jacobus, frater Domini, sint duo viri necne. Nam Clemens Alexandrinus et Hieronymus [10]) Jacobum Alphaei et Jacobum, fratrem Domini, eundem designare apostolum ponunt, sed Eusebius, Hegesippus, Epiphanius [11]), alterum ab altero discernunt. Tres igitur statuunt fuisse Jacobos. Cum his facere Nonnum necesse est, quia fratres Domini apostolos fuisse negat [12]).

Superest, ut dicam de iis, quae ad honorem matri Domini N. 10.
delatum spectant. Primum autem animadvertendum est paraphrastam religiose cavere, ne mater praeferatur Filio. Secundi enim capitis prima parte, qua poëta nuptias Canae celebratas sub

[1]) Cf. Jo. II, 12.
[2]) Cf. Act. Ap. I, 21 sq..
[3]) Cf. n. 77.
[4]) Par. VII, 9.
[5]) Cf. Matth. XIII, 55; Marc. VI, 3.
[6]) Hist. Jos. II.
[7]) Cf. Matth. X, 2; Marc. III, 17.
[8]) Cf. Matth. X, 3; Marc. III, 18; Luc. VI, 15.
[9]) Cf. Matth. XIII, 55; Marc. VI, 3.
[10]) De Clem. Al. cf. M. P. G. XX, 136, Euseb. H. E. II, 1 § 2; de Hier. M. P. L. XXIII, 203.
[11]) Cf. M. P. G. XX, 119, Euseb. H. E. I, 12 § 5; II, 1; 25, quo verba Hegesippi refert; 26; VII, 19; Epiphan. M. P. G. XLII, 744.
[12]) Cf. Par. II, 65 sqq..

aspectum nobis subjicit, paulum ab evangelii textu atque ordine deflectit, id quod ceteroqui ab ejus more in ornando et interpretando evangelio abhorret. Cum enim Joannes dicat: *καὶ ἦν ἡ μήτηρ Ἰησοῦ ἐκεῖ· ἐκλήθη δὲ καὶ ὁ Ἰησοῦς* cet. [1]), Nonnus primum Dominum vocatum tum ejus matrem invitatam commemorat

Par. II, 5: *καὶ γάμος ὄλβιος ἦεν, ὅτι χθονίῳ παρὰ παστῷ*
6: *Χριστὸς ὀπισθοκόμων μερόπων θοινήτορι λαῷ*
7: *κλητὸς ἔην σύνδορπος.*
8: *ἐς εἰλαπίνην δὲ καὶ αὐτὴ*
9: *παρθενικὴ Χριστοῖο θεητόκος ἵκετο μήτηρ.*

Quam matris Filiique ordinis inversionem non hinc repetendam esse puto, quod paraphrastae inter manus fuerit evangelii codex hoc loco à nostris codicibus discrepans. Nam ordinem rerum, quem codices S. Scripturae praebent, quod sciam, ceteris locis nusquam audet invertere, neque ullum textus Joannei diversi vestigium cernitur. Itaque, quod superest, una atque sola causa immutati ordinis poëtae fuisse videtur haec, quod Christo, qui matrem dignitate antecederet, ordine narrationis quoque primas deferre vellet. Etenim, cum toto opere suo omnis in eo sit, ut Servatori primas partes vindicet quaeque Dei sunt propria tribuat, quasi timeat, ne memoria divinae Domini majestatis e legentium animis excidat, praeter expectationem nonnunquam epithetis Deum esse Christum in memoriam revocat, ut in aperto est

Par. I, 157: *σύγγονε, Μεσσίαν σοφὸν εὕρομεν, ὃς θεὸς ἀνὴρ*
158: *Χριστὸς Ἰουδαίοισιν ἀκούεται Ἑλλάδι φωνῇ.*
182: *Ἰησοῦν ὁσίοιο βοώμενον υἱὸν Ἰωσήφ,*
183: *Ναζαρὲθ ναετῆρα, θεοῦ γόνον.*
II, 18: *Χριστῷ καὶ δεδαῶτι συνέστιος ἔννεπε μήτηρ.*
XIX, 198: *ὄρχαμον αἰτίζων νέκυν ἔνθεον· αὐτὰρ ὁ χαίρων*
199: *νεκρὸν ἀειζώοντα θεουδέι δῶκε φορῆι.*

Qua cura adductus est, ut matri summa veneratione dignae Filium venerabiliorem ipso narrationis ordine praeferret [2]).

N. 11. Altera quaestio est de interpretatione verborum evangelii: *τί ἐμοὶ καὶ σοί, γύναι* [3]); Haec Nonnus sic explicat

Par. II, 21: *καί οἱ Χριστὸς ἔειπε· τί μοι, γύναι, ἠέ σοι αὐτῇ;*

Evangelii autem verba significant: „Quid mihi tecum est?" Sic

---

[1]) Jo. II, 1 sq..

[2]) K. Kuiper, o. l., p. 362: „Opzettelijk heeft de dichter de volgorde der personen in deze verzen gewijzigd; hij wil nl. over Maria uitvoeriger zijn".

[3]) Jo. II, 4.

enim fert usus auctorum graecorum, ut poëtae Anacreontei: *τί γὰρ μάχαισι κἀμοί*[1]); Demosthenis: *διομνύμενος μηδὲν εἶναι σοὶ καὶ Φιλίππῳ πρᾶγμα*[2]); Quibus consentit Paulus: *τίς γὰρ μετοχὴ δικαιοσύνῃ καὶ ἀνομίᾳ, ἢ τίς κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος,* i. e.: „Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras"[3])? Neque excipitur ipse Nonnus

Par. XXI, 130: *πρὸς σὲ τί τοῦτο πέλει*[4]); et

IV, 37: *ποῖον ξυνὸν ἔην Σαμαρείτιδι καὶ σέο φύτλῃ;*

Joannes quoque Chrysostomus evangelii verba accomodate ad hunc usum loquendi explicat[5]). Quam explanationem Euthymius quoque Zigabenus saeculo p. Chr. n. duodecimo affert. Qui tamen aliam loci laudati interpretationem praefert. Est enim, ut ejus fert opinio, vis verborum evangelii haec, ut significatum velit Dominus neque sibi neque matri sed hospiti curam vini providendi esse habendam. „*Τί ἡμῖν*", inquit, „*ἀναγκαῖον, περὶ οὗ παρακαλεῖς; τί τὸ κατεπεῖγον οὕτως ἡμᾶς*"[6]); Eandem explicationem Nonnus amplexus esse videtur. In hac enim interpretatione vocula *ἠέ* pro *καί* adhiberi potest vix ullo sententiae discrimine. Quod aliis quoque locis facit, ut

Par. X, 33: *εἰ μὴ ἵνα κλέψειεν ἀμάρτυρος ἢ καὶ ὀλέσσῃ*

34: *ἠὲ διατμήξειεν ἀφειδέι μῆλα μαχαίρῃ,* et

VIII, 13: *μοῦνος ἐγὼ νοέω, πόθεν ἤλυθον ἢ πόθι βαίνω,*

ubi evangelium scriptum habet: *ἵνα κλέψῃ καὶ θύσῃ καὶ ἀπολέσῃ*[7]) et: *πόθεν ἦλθον καὶ ποῦ ὑπάγω*[8]). Noli enim suspicari pro *ἠέ* loco laudato scribendum esse *ἠδέ;* haec enim vocula Homerica Nonni temporibus jam obsoleverat. Hanc autem interpretationem, quae jam Nonni aetate extitisse videtur, poëta fortasse secutus est, propterea quod Jesu ad Mariam verba sic accepta minus dura esse videntur. Quod si ita est, cultum Mariae crescentem indicari verisimile est.

Vocabula tamen, quae ad virginis Mariae cultum atque hono- N. 12.
rem pertinent, in Paraphrasi non leguntur nisi hoc unum: *ἄνασσα*[9]). Haec vox, quae apud Homerum occurrit de deabus eademque de Nausicaa[10]), cui Ulysses dubius divinum honorem

---

[1]) Anacr. Symp. Hem. 4, 4, ed. V. Rose, Teubner.
[2]) Dem. XVIII, 283; cf. Kühner-Blass II, 1 § 423, Anm. 20.
[3]) II Cor. VI, 14.
[4]) Cf. Jo. XXI, 22: *τί πρὸς σέ;*
[5]) Cf. M. P. G. LIII, 506.
[6]) M. P. G. CXXIX, 1148.
[7]) Jo. X, 10.
[8]) Jo. VIII, 14.
[9]) Par. XIX, 145 †; cf. n. 78.
[10]) Cf. Od. VI, 149; 175.

tribuit, semper „r e g i n a", „d o m i n a" significat et nonnisi a poëtis tum antiquis tum recentioribus adhibetur. Unde fit, ut in homiliis Patrum Ecclesiae, Procli, Germani, Cyrilli Alexandrini, Gregorii Nazianzeni, aliorum, quantum scio, non inveniatur. Mariam appellant his nominibus: *δέσποινα, βασίλισσα, βασιλίς, κυρία, παναγία παρθένε* cet [1]). Verum *παντάνασσα* bis legitur apud Germanum [2]), semel quidem in sermone quodam, semel in hymno in Sanctam Dei Genitricem:

Σαλπίσωμεν ἐν σάλπιγγι ᾀσμάτων
Προκύψασα γὰρ ἡ παντάνασσα Μητροπάρθενος.

Vocabulum *ἄνασσα* Sophocles in lexico ne posuit quidem, ita ut non modo non in orationis solutae operibus sed ne in carminibus quidem Patrum Ecclesiae ei occurrisse videatur. Tamen in Dionysiacis scriptum legitur, ut de Diana, de Venere [3]). Vocabulum autem *παντάνασσα* de Maria dicitur, ut apud Germanum loco laudato et in Oratione Romani: *θεοτόκε παρθένε παντάνασσα* [4]).

Sed quidquid est de vocabulo *ἄνασσα,* antiqui scriptores ecclesiastici Mariam, quam semper virginem Dei matrem praedicant, nominibus atque invocationibus summis laudibus celebrant, ut Irenaeus [5]), Ambrosius [6]), Ephraem: „*Ὦ παρθένε δέσποινα, ἄχραντε θεοτόκε, κυρία μου ὁλόδοξε, ὑπερπανάγαθέ μου, ὑψηλοτέρα οὐρανῶν, ὑπερκαθαρωτέρα ἡλιακῶν μαρμαρυγῶν, ἀκτίνων, λαμπηδώνων*" [7]). Unde mirum non est, Nonnum quoque poëtam Mariam summo honore prosequi, licet haec vox *ἄνασσα* aliquam admirationem possit movere. Nam ceteroqui de matre Domini verba, quae cultum atque honorem delatum significant, non solet adhibere.

Haud tamen mihi placet lectio, quae proponitur in infima pagina editionis Scheidlerianae ad Par. XIX, 144 sq.:

καὶ ἄσπορος ἔσχε τοκοῦσαν
υἱός, ἀνὴρ ἀλόχευτος, ἀπειρογάμου γενέτειρας (!).

Hanc lectionem, cujus auctor in calce paginae errore non indicatur, exhibet editio Nonniana Marcelli, ut ipse vir doctissimus

---

[1]) M. P. G. XCVIII, 303; 318; 357; Assemani o. l. III, 545.
[2]) M. P. G. XCVIII, 303; 453.
[3]) Cf. Dion. XXXIII, 48; XLVIII, 315; 330; 344; 378.
[4]) P. Maas, Früh—Byz. Kirchenpoesie I, Or. Rom. 17, p. 9.
[5]) Cf. M. P. G. VII, 959. [6]) Cf. M. P. L. XV, 1521.
[7]) Assemani o. l. 3, 545; cf. Bickell, S. Ephraem Syri carmina Nisibena 122; Lamy, S. Ephr. S. hymni et sermones 3, 974; cf. Or. Rom. o. l. passim.

Scheindler me benevole per litteras docuit. In omnibus autem codicibus legitur

Par. XIX, 144: καὶ ἄσπορος ἔσκε τεκούσης

145: υἱός, ἀνὴρ ἀλόχευτος, ἀπειρώδινος ἀνάσσης.

Haec lectio, praeterquam quod codices eam defendunt, quoad verba posteriora: ἀπειρώδινος ἀνάσσης resipit Dionysiacorum illa: ἀπειρώδινος Ἀθήνης[1]) et: ἀπειρώδινος ἀνάγκης[2]), ita ut speciem lectionis Nonnianae prae se ferat. Sed verba: ἀπειρογάμου γενέτειρας neque singula neque conjuncta in Dionysiacis leguntur. Itaque, cum poëtae christiani Mariam appellent: ἀπειρόγαμος μήτηρ[3]) et vocabulum γενέτειρα[4]) magis pertineat ad usum loquendi poëtarum quam vox μήτηρ, vir quidam ignotus lectionem Nonnianam correxisse videtur, ut evitaretur vocabulum ἄνασσα, quod falso de divis tantum dici posse putaverit.

B.

Petrus apostolus.

De Petro apostolo acturus primum afferam locos, quos plurimos N. 13.
tam evangelium Joanneum quam ejus paraphrasta de eo habent.

Par. I, 149: Ἀνδρείας, μερόπων ἁλιεὺς μετὰ πόντιον ἄγρην,

150: ἰχθυβόλου Σίμωνος ἀδελφεός[5]).

154: ὁ μὲν πρώτιστον ὁδεύων

155: σύγγονον εὐώδινος ἐρευνητῆρα θαλάσσης

156: εὗρεν ἑὸν Σίμωνα καὶ ἔννεπεν ὀξέι μύθῳ·

157: σύγγονε[6]).

159: ὣς εἰπὼν ἐκόμισσεν ὁμόγνιον ὀξὺν ὁδίτην,

160: Ἰησοῦς ὅθι ναῖε· γαληναίῳ δὲ προσώπῳ

161: Χριστὸς ἰδὼν Σίμωνα σοφῷ μειλίξατο μύθῳ·

162: υἱὸς Ἰωάνναο σὺ μὲν πέλες, ἐσσὶ δὲ Σίμων

---

[1]) Dion. XVI, 152. [2]) Dion. XLVIII, 798.

[3]) Cf. Anthol. Pal. I, 2; Paul. Sil. Ecphr. 20:

Χριστὸν ἀνεβλάστησεν ἀπειρογάμοισι λοχείαις;

praeterea verbum occurrit Dion. XIII, 98; XLVII, 416.

[4]) Cf. Pind. N. VII, 2. [5]) Cf. Jo. I, 40. [6]) Cf. Jo. I, 41.

163: ἐργατίνης πόντοιο· σὺ μοι κικλήσκεο Κῆφας,
164: δεύτερον οὔνομα δέξο νεώτερον, ἀνέρες ἄλλοι
165: Πέτρον ὅπερ καλέουσιν· ἐπωνυμίην δὲ καλύψει
166: πρεσβυτέρην Σίμωνος ὑπέρτερον οὔνομα Πέτρου,
167: πίστιος ἀρραγέος σημήιον [1].

175: ξυνὴν δ' εἶχε Φίλιππος ἑὴν Βηθσαΐδα πάτρην,
176: Ἀνδρείας ὅθι ναῖεν, ὅπῃ θρασὺς ᾤκεε Σίμων [2].

IV, 134: οὐδέ μιν εἴρετο Πέτρος, ἅτε θρασύς [3].

VI, 23: Ἀνδρείας βασιλῆι χέων φερέδειπνον ἰωήν,
24: ὑγροπόρου Σίμωνος ἀδελφεὸς ἰχθυβολῆος [4].

215: καί οἱ Πέτρος ἔλεξε βοώμενος οὔνομα Σίμων [5].

220: ἡδυεπὴς δὲ
221: ἀντίτυπον φάτο μῦθον ἄναξ πειθήμονι Πέτρῳ [6].

XIII, 24: Χριστὸς ἑῶν ἑτάρων φιλίους πόδας ἤρξατο νίπτειν
25: λοίσθιον ἐκ πρώτου μετανεύμενος ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ·
26: ἀρχόμενος Σίμωνος ἕως ἰδίοιο φονῆος.
27: πρεσβυτέρῳ Σίμωνι παρίστατο καὶ πόδας αὐτοῦ
28: ἀμφοτέρους κρατέεσκε· ταχὺς δ' ἀντέσπασε Σίμων,
29: Ἰησοῦν δ' ἀνέκοψε φίλον σέβας ὄμμασι φαίνων·
30: καί μιν ἐρητύων βριαρῇ μειλίξατο φωνῇ·
31: ὑμετέρου θεράποντος, ἄναξ πάντεσσι κελεύων,
32: νίπτεις σαῖς παλάμαις καὶ ἐμοὺς πόδας; ἡδυεπὴς δὲ
33: ἑζομένῳ Σίμωνι θεηγόρος εἶπεν Ἰησοῦς [7].

36: καί οἱ Πέτρος ἔλεξε χέων ἡδεῖαν ἀπειλήν [8].

41: καί οἱ μῦθον ἔλεξε νόῳ πειθήμονι Σίμων [9].

105: τούτῳ Πέτρος ἔνευσε· λάλῳ δ' ἐρέεινε σιωπῇ,
106: τίς πέλεν, οὗ χάριν εἶπεν [10].

---

[1]) Cf. Jo. I, 42.
[2]) Cf. Jo. I, 44.
[3]) Cf. Jo. IV, 27, ubi de Petro non loquitur.
[4]) Cf. Jo. VI, 8.
[5]) Cf. Jo. VI, 68.
[6]) Cf. Jo. VI, 70.
[7]) Cf. Jo. XIII, 5–7.
[8]) Cf. Jo. XIII, 8.
[9]) Cf. Jo. XIII, 9.
[10]) Cf. Jo. XIII, 24.

145: *Χριστοῦ δ' ὡς κλύε μῦθον ἑκὰς μέλλοντος ὁδεύειν,*
146: *μειλιχίοις ὀάροισι φιληκόος ἔννεπε Σίμων·*
147: *κοίρανε, πῆ σπεύδεις; τίνα μοι, τίνα χῶρον ἱκάνεις;*
148: *Ἰησοῦς δ' ἀπάμειπτο καὶ εἰρομένῳ φάτο Πέτρῳ* [1]).

152: *εἶπε δὲ Σίμων* [2]).

156: *Ἰησοῦς δ' ἀδόκητον ἔπος μυθήσατο Πέτρῳ* [3]).

XVIII, 50: *ἀγχιφανὴς δὲ*
51: *Σίμων ἆορ ἔχων θρασὺς ἔσπασεν· ἄνδρα δὲ νύξας*
52: *λάτριν ἀμαιμακέτοιο διάκτορον ἀρχιερῆος*
53: *δέξιον οὖας ἔταμνεν ἀοσσητῆρι σιδήρῳ* [4]).

55: *Ἰησοῦς δ' ἀνέκοψε φιλήτορι Πέτρον ἰωῇ* [5]).

70: *καί οἱ ὀπισθοκέλευθος ὁμάρτεε τηλόθι Σίμων* [6]).

74: *καὶ βραδὺς αὐτόθι Πέτρος ἐλείπετο νόσφι θυράων.*
75: *Χριστοῦ δ' ἄλλος ἑταῖρος ὑπωρόφιον γόνυ πάλλων*
76: *ἄνθορεν ἐκ μεγάροιο καὶ ἀμφιπόλῳ πυλαωρῷ*
77: *εἶπε καὶ ἤγαγε Πέτρον ἔσω πολυχανδέος αὐλῆς*
78: *χειρὸς ἔχων. καὶ δμωὶς ἐπεσβόλος ὄμματι λοξῷ*
79: *δερκομένη πυλαωρὸς ἀνίαχε γείτονι Πέτρῳ*
80: *τοῖον ἔπος· μὴ καὶ σὺ πέλεις Χριστοῖο μαθητής;*
81: *Σίμων δ' ἀντιάχησε φόβου σημάντορι φωνῇ·*
82: *ὦ γύναι, οὐ Χριστοῖο συνέμπορός εἰμι μαθητής* [7]).

89: *καὶ μέσος αὐτῶν*
90: *ἄψοφος ἵστατο Πέτρος ἔχων ἄγνωστον ὀπωπήν* [8]).

116: *Σίμων δ' ἐσχαρεῶνι παριστάμενος καὶ ἀλύων*
117: *ψυχρὸν ἐπ' ἀνθρακόεντι δέμας θερμαίνετο πυρσῷ,*
118: *θαλπόμενον δ' ἐρέεινον ὀπάονες ἀρχιερῆος*
119: *ἀλλοφανῆ Σίμωνα νεήλυδα· μὴ σὺ καὶ αὐτὸς*
120: *ἐξ ἑτάρων Χριστοῖο πέλεις; καὶ ἀμοιβάδι φωνῇ*
121: *δμώων πευθομένων ἠρνήσατο Πέτρος ἀκούων·*

---

[1]) Cf. Jo. XIII, 36.
[2]) Cf. Jo. XIII, 37.
[3]) Cf. Jo. XIII, 38.
[4]) Cf. Jo. XVIII, 10 sq..
[5]) Cf. Jo. XVIII, 11.
[6]) Cf. Jo. XVIII, 15.
[7]) Cf. Jo. XVIII, 15—17.
[8]) Cf. Jo. XVIII, 18.

122: οὐ Χριστοῦ γενόμην, ἐνέπων ψευδήμονι μύθῳ.
123: καὶ θεράπων ἱερῆος ἀμείβετο Πέτρον ἐλέγχων
124: νυκτιπόλου θεράποντος ὁμόγνιος, οὗ ποτε Σίμων
125: δεξιὸν οὖας ἔταμνε παρήορον ἄορι νύξας·
126: οὐ σὺ πέλεις Χριστοῖο διάκτορος; οὔ σε μετ' αὐτοῦ
127: εἶδον ἐγὼ δρυόεντος ὁμέστιον ἔνδοθι κήπου;
128: καὶ τριτάτῃ παλίνορσος ἐθήμονι Πέτρος ἰωῇ
129: Ἰησοῦν ἀπέειπε, καὶ ἔκραγεν εὐθὺς ἀλέκτωρ [1].

XX, 13: κατωπιόωντι δὲ Πέτρῳ
14: ἀγγελίην ἑτέρῳ τε συνενδιάοντι μαθητῇ,
15: κοίρανος ὃν φιλέεσκε, μιῇ ξυνώσατο φωνῇ
16: ἀμφὶ τάφου κενεοῖο. καὶ ὡς ἔχε Πέτρος ἀκούσας,
17: ἔμπνοος οἰστρηθέντι ποδῶν διφήτορι ταρσῷ
18: ἄνθορεν ἐκ μεγάροιο· καὶ ὡμάρτησε μαθητὴς
19: ἄλλος ὁμῶς ἐπὶ σῆμα, καὶ εἰς δρόμον ἔτρεχον ἄμφω.
20: καὶ φθάμενος Σίμωνα ποδήνεμος ἦλθε μαθητὴς
21: Πέτρου σπερχομένοιο θοώτερος [2].

26: ἑσπομένοις δὲ πόδεσσιν ὀπίστερος ἵκετο Σίμων
27: καὶ ταχὺς ἔνδον ἵκανεν [3].

40: οὐ γάρ πω δεδάασι δύω Χριστοῖο μαθηταί [4].

45: πυκνὰ δὲ θαμβήσαντες ὀπιπευτῆρες ἑταῖροι
46: ἀσταθέες σφετέροισιν ἐναυλίζοντο μελάθροις,
47: ἄψοφα καλλείψαντες ἀπενθέος ἄντυγα τύμβου [5].

XXI, 3: ἔσω κρυφίοιο μελάθρου
4: Πέτρος ἔην ὁ πρόσθε βοώμενος οὔνομα Σίμων
5: καὶ σοφὸς Ἀνδρείας, ὁμογάστριος ὃς πέλε Πέτρου [6].

9: καί σφιν ἀγειρομένοισι λινοπλόκος ἔννεπε Σίμων [7].

17: καὶ πυκνὰ παλιμπετὲς ἄχνυτο Σίμων
18: χερσὶν ἐπ' ἀμφοτέρῃσιν ὑπηνέμιον λίνον ἕλκων [8].

---

[1]) Cf. Jo. XVIII, 25—27.
[2]) Cf. Jo. XX, 2—4.
[3]) Cf. Jo. XX, 6.
[4]) Cf. Jo. XX, 9.
[5]) Cf. Jo. XX, 10.
[6]) Cf. Jo. XXI, 2.
[7]) Cf. Jo. XXI, 3.
[8]) Cf. Jo. XXI, 3, quo Petri mentio non fit.

35: *καὶ διερῷ Σίμωνι, βυθοῦ διφήτορι πόντου,*
36: *κοίρανος ὃν φιλέεσκε, συνέμπορος εἶπε μαθητής·*
37: *αὐτὸς ἄναξ πέλεν οὗτος· ὁ δὲ σχεδὸν ὀξὺς ὀρούσας*
38: *εἵματι μυδαλέῳ λαγόνας μιτρώσατο Σίμων*
39: *καὶ λινέῳ πεπύκαστο πολυτρήτῳ χρόα πέπλῳ*
40: *πόντιον ἀμφίβλημα περὶ γλουτοῖσιν ἑλίξας,*
41: *δέρμα, τόπερ διδύμων κεχαλασμένον εἰς πτύχα μηρῶν*
42: *ἰχθυβόλοι φορέουσιν ἀθήητον σκέπας αἰδοῦς —*
43: *γυμνὸν γὰρ δέμας εἶχεν ἐς ἠόνα δίκτυον ἕλκων —*
44: *καὶ ταχὺς εἰς ῥόον ἆλτο καὶ ἠθάδα πόντον ἀμείβων*
45: *χεῖρας ἐρετμώσας, κεφαλὴν εἰς ὕψος ἀείρων,*
46: *ποσσὶν ἀμοιβαίοισιν ὀπίστερον ὤθεεν ὕδωρ·*
47: *ἀκτῆς δ' ἐγγὺς ἵκανε θεηδόχον ἠόνα βαίνων,*
48: *Ἰησοῦς ὅθι μίμνε δεδεγμένος* [1].

61: *καὶ διεροῖσι πόδεσσι θορὼν ἀνεβήσατο Σίμων*
62: *χερσὶν ὁμοσθενέεσσιν ἐπὶ χθόνα δίκτυον ἕλκων*
63: *ἔγκυον ἀλλομένων νεπόδων ἐπιβήτορι παλμῷ*
64: *μηκεδανῶν. καὶ νῶτα κεκυφότα τείρετο Σίμων* [2].

71: *καὶ οὐ θρασὺς εἴρετο Σίμων*
72: *ἐγγύθι γινώσκων, ὅτι κοίρανος ἦεν Ἰησοῦς* [3].

Postremo Par. XXI, 81—129 [4] legitur pericope, qua praesertim de Petro agitur. Quam transcribere hic longum est.

Petro antiquius nomen erat Simon, ut patet N. 14.
Par. I, 162: *υἱὸς Ἰωάνναο σὺ μὲν πέλες, ἐσσὶ δὲ Σίμων*
163: *ἐργατίνης πόντοιο· σύ μοι κικλήσκεο Κῆφας,*
164: *δεύτερον οὔνομα δέξο νεώτερον, ἀνέρες ἄλλοι*
165: *Πέτρον ὅπερ καλέουσιν* [5]. *ἐπωνυμίην δὲ καλύψει*
166: *πρεσβυτέρην Σίμωνος ὑπέρτερον οὔνομα Πέτρου,*
167: *πίστιος ἀρραγέος σημήιον.*

Apud Joannem autem scriptum est: *σὺ εἶ Σίμων, ὁ υἱὸς Ἰωάνου, σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς (ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος)* [6].

---

[1]) Cf. Jo. XXI, 7. [2]) Cf. Jo. XXI, 11.

[3]) Cf. Jo. XXI, 12, ubi de Petro tacet evangelista.

[4]) Cf. Jo. XXI, 15—22.

[5]) Verba Joannea: *ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος* a Nonno attribui videri possunt Christo: *ἀνέρες ἄλλοι | Πέτρον ὅπερ καλέουσιν.* Sed cf. Par. I, 142: *ῥαββίν, ὃ καὶ καλέουσι διδάσκαλε,* ubi Jo. I, 38 legitur: *ῥαββεί, ὃ λέγεται μεθερμηνενόμενον διδάσκαλε.* [6]) Jo. I, 42.

In evangelio nominatur Petrus 1: Cephas semel [1]); 2: Simon quinquies [2]); 3: Petrus decies septies [3]); 4: Simon Petrus septies [4]); in Paraphrasi autem 1: Cephas semel [5]); 2: Simon tricies septies [6]); 3: Petrus tricies bis [7]); 4: Simon Petrus nunquam. Videmus igitur 1: Nonnum multo saepius uti nomine Simonis quam evangelistam; 2: omnino non uti nominibus Simonis et Petri conjunctis. Quaeritur itaque 1: fueritne causa, cur Nonnus nomen Simonis praeferret nomini Petri an casui res sit tribuenda; 2: cur nomina Simonis et Petri conjuncta evitaverit.

Quod ad priorem quaestionem attinet, paraphrasta ab evangelio consulto non deflectit, cum nomen Simonis omnibus Joannis locis, Petri autem nomen decies iisdem, quibus evangelista, locis et praeterea duobus locis tam Petri quam Simonis nomen adhibuerit [8]). Tamen nomen et Petri et praesertim Simonis persaepe aliis locis inseruit ita, ut nomen Simonis multo saepius evangelio addiderit quam Petri. Verisimile autem est nomen Simonis auribus graecis gratius fuisse quam nomen Petri. Nam illud est nomen proprium graecum ab antiquissimis inde temporibus usitatum [9]), hoc autem etsi graecum, tamen nomen proprium graecum non est [10]). Quamquam igitur Nonnus, cum opus est, minime abhorret a nominibus barbaris, tamen, ubi optio datur, eum nomen grae-

---

[1]) Jo. I, 42 †. [2]) Jo. I, 41; 42; XXI, 15; 16; 17.

[3]) Jo. I, 42; 44; XIII, 8; 37; XVIII, 11; 16; 16; 17; 18; 26; 27; XX, 3; 4; XXI, 7; 17; 20; 21.

[4]) Jo. I, 40; VI, 8; 68; XIII, 6; 9; 24; 36; XVIII, 15; 25; XX, 2; 6; XXI, 2; 3; 11; 15; denique XVIII, 10 et XXI, 7 interjecta particula *οὖν*.

[5]) Par. I, 163 †.

[6]) Par. I, 150; 156; 161; 162; 166; 176; VI, 24; 215; XIII, 26; 27; 28; 33; 41; 146; 152; XVIII, 51; 70; 81; 116; 119; 124; XX, 20; 26; XXI, 4; 9; 17; 35; 38; 61; 64; 71; 83; 84; 91; 94; 100; 120.

[7]) Par. I, 165; 166; IV, 134; VI, 215; 221; XIII, 36; 105; 148; 156; XVIII, 55; 74; 77; 79; 90; 121; 123; 128; XX, 13; 16; 21; XXI, 4; 5; 86; 88; 90; 97; 102; 104; 109; 115; 116; 126.

[8]) Par. XVIII, 123 sq. = Jo. XVIII, 26; Par. XX, 20 sq. = Jo. XX, 4.

[9]) Cf. Aristoph. Nub. 351; Xen. R. Eq. I, 1; Eubul. ap. Poll. VII, 205; cf. Suid. in v. *Σίμων*.

[10]) Nomen Petri christianis primi et secundi sæculi frequens non fuisse videtur; cf. A. Harnack, Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten I, p. 354: Die Rufnamen der Christen. Josephus tamen Antiq. Jud. XVIII, 6, 3 commemorat libertum quendam Berenices, Agrippæ matris, cui nomen erat Petrus; praeterea interdum legitur in papyris Oxyrynchis, ut VIII, 1130, 30 sq.; X, 1254, 25; 1280, 1; 15; 1300, 2; 10; 12.

cum praeferre, non est quod miremur. Itaque non neglecto nomine Petri, propterea quod in Novi Testamenti libris princeps Domini apostolus hoc praesertim nomine insignitur [1]), nomen tamen Simonis multo saepius in Paraphrasi addidit. Praeterea Simon est nomen graecum, in quod שמעון (*Συμεών*) secundum sonitum tantum versum est. Hujusmodi autem versiones inde a Macchabaeorum temporibus haud ita raro occurrunt [2]).

Cur vero, quod deinceps quaeritur, nomina Simonis et Petri conjuncta evitaverit, causa fuit plerumque res metrica. Vocis *Σίμων* prima syllaba tum a Nonno [3]) tum a ceteris fere graecis auctoribus [4]) producitur. Originem vocabuli videntur duxisse a voce *σῖμός*. Primam quoque syllabam nominis *Πέτρος* Nonnus semper producit. Solet enim evitare correptionem, quam dicunt, Atticam. Cum vero vim litterarum mutae et liquidae conjunctarum non tantam esse putaverit, ut semper syllabam praecedentem produceret, talem syllabam ponit in arsi, ut versus ictu aucta possit produci [5]). Itaque priorem syllabam nominis Petri semper ponit in arsi [6]). Denique perraro Nonnus duos spondeos continuat. E diversis igitur modis, quibus nomina „Simon Petrus" conjungi possunt, sc.:

Σί̄μῶν | Πέ̄τρος, *Σί | μῶν Πέ | τρος,*
Σί̄μῶν | Πέ̄τρος (ἔ | εἶπεν), *Σί̄μω | νος Πέ | τρου,*

---

[1]) Petrus legitur centies sexagics ter; Simon quinquagies semel.

[2]) Cf. R. Herzog, Namensübersetzungen, p. 33 sqq., Philol., 1897: *Μνασέας* = מנחם; *Γηρόστρατος* (*Γεράστρατος*) = Geraštart; *Ἰάσων* = Josua. Cf. Tacit. Hist. V, 12: Simo (Judaeus) i. e. *Συμεών*. *Ἰωσῆς* et Justus eundem hominem designant. At. J. Guster, Les Juifs dans l'empire Romain II, p. 231 perhibet Justum eundem esse virum ac Zadoc. Nam nomina vertuntur quoque secundum significationem.

[3]) Par. XIII, 27 particula *δέ*, quam vulgo exhibent codices: *πρεσβυτέρῳ δὲ Σίμωνι*, ejiciendum est; cf. Z. f. d. O. G. 1878, p. 817.

[4]) Contra Aristoph. Nub. 351:

τί γὰρ ἦν ἅρπαγα τῶν δημοσίων κατίδωσι Σῐμωνα, τί δρῶσιν;

Aristoph. Nub. 1356: *Σῐμωνίδης*; Eust. op. p. 264, 57: *σῐμωνίζω*. Quod ad latinos auctores attinet cf. Juvenc. III, 393: Sĭmon; Prud. c. Symm. 2 praef.: Sĭmon.

[5]) Saltem quod attinet ad vocabula disyllaba; cf. A. Ludwich, Beiträge zur Kritik des N. v. P., p. 13.

[6]) Sic *πέτρα* quoque, ut: Par. II, 1; IV, 90; VI, 61 cet., semper in fine versus.

Σί | μωνος | Πέτρου, Σίμω | νος Πέ | τροιο,
Σί | μωνος | Πέτροι | ο, Σίμωνι Πέτρῳ,
Σίμωνα Πέτρον, Σίμων | Πέτρε,
Σί | μων Πέ | τρε, Σίμων | Πέτρε,

facile intellegitur Nonnum secundum rem metricam uti non potuisse nisi:

Σίμων | Πέτρος (ἔ | ειπεν) et Σίμων | Πέτρε.

Vocativum autem hunc non adhibuit, propterea quod neque in evangelio eum scriptum legit. Verum causa, cur nunquam scripserit: Σίμων | Πέτρος (ἔ | ειπεν), quamquam evangelista hunc nominativum saepe adhibuit, res metrica ei esse non potuit. Sed conjunctorum nominum usui non favebat graecorum consuetudo, qui, licet saepe cognomen aliquod adjiciant nomini, ut in Ἀντιόχῳ Ἐπιφανεῖ, Διονυσίῳ Θρᾳκί, Λαερτίῳ Διογένει patet, duobus praenominibus ornare unum hominem non solebant nisi adjecto: „ὁ καί", quod sexcenties in Aegyptiacis occurrit papyris[1]). Sic in Joannis evangelio legitur: Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος[2]), quod Nonnus circumscribit Par. XI, 55 sq.: Θωμᾶς, ὃν Δίδυμον καλέουσι[3]). Cetera nomina propria, quae occurrunt conjuncta, singula tantum praenomina habent, sc. Judas Iscarioth[4]), Maria Magdalena[5]), Jesus Nazarenus[6]), Caesar Tiberius[7]). Excipias nomina „Jesus Christus" in evangelio[8]) eademque inverso ordine: Χριστὸν Ἰησοῦν[9]) in Paraphrasi posita. Sed hoc nomen Christi proprie praenomen non est. Ratio peculiaris, cur evangelista modo Simonem Petrum modo aut Simonem aut Petrum dixerit, non adesse videtur. Nec singulari causa ductus Nonnus scripsit

---

[1]) Cf. Pap. Oxyr. I, XLV, 1, p. 102; LIII, 1, p. 111; LIV, 1, 6, p. 112; CII, 3, p. 167. [2]) Jo. XI, 16; XXI, 2.

[3]) Cf. Par. XIV, 15; XX, 118; 132; XXI, 7; his locis, excepto XX, 132, additur διώνυμος; cf. K. Kuiper, o. l., p. 346 [3]).

[4]) Jo. VI, 71; XII, 4; XIII, 2; 26, semper interjecta voce Σίμωνος; XIV, 22: Ἰούδας οὐχ ὁ Ἰσκ.; Par. VI, 226; XIV, 85; sed non conjunctis nominibus.

[5]) Jo. XIX, 25; XX, 1; 18, semper interjecta voce ἡ; Par. XIX, 137 et XX, 2: Μαγδαλινὴ Μαρίη; XX, 48: tantummodo Μαγδαλινή.

[6]) Jo. XVIII, 5; 7; XIX, 19; interjecta particula; in Par. non occurrit.

[7]) Par. XIX, 59: Καίσαρι Τιβερίῳ. [8]) Jo. I, 17; XVII, 3.

[9]) Par. XVII, 9; XVIII, 42.

Par. VI, 215: καί οἱ Πέτρος ἔλεξε βοώμενος οὔνομα Σίμων et
XXI, 4: Πέτρος ἔην ὁ πρόσθε βοώμενος οὔνομα Σίμων,
cum iisdem locis evangelista dicat: Σίμων Πέτρος [1]).

Ad indicandam artem, quam Petrus quaestus causa exercebat, N. 15.
Nonnus multa adhibet vocabula, sc. ἰχθυβόλος [2]); εὐώδινος ἐρευνητὴρ θαλάσσης [3]); ἐργατίνης πόντοιο [4]); ὑγροπόρος [5]); ἰχθυβολεύς [6]); λινοπλόκος [7]); βυθοῦ διφήτωρ πόντου [8]). Quibus addi potest vocabulum ἁλιεύς, quo abusive de Petro utitur

Par. XXI, 91: ἀνδρομέης ἀγέλης ἁλιεὺς ἐφθέγξατο Σίμων;
eodemque de Andrea

Par. I, 149: Ἀνδρείας, μερόπων ἁλιεὺς μετὰ πόντιον ἄγρην.
Sola vox tum Homerica tum auctoribus Atticis solutae orationis usitata est ἁλιεύς, cetera omnia nomina sunt poëtarum Alexandrinorum propria, Oppiani, Apollonii Rhodii, Theocriti cet., a quibus ea mutuatus est, copiam orationis et ubertatem sectatus [9]).

Cum artificio Petri piscatorio cohaeret quaestio de versibus N. 16.

Par. XXI, 35: καὶ διερῷ Σίμωνι, βυθοῦ διφήτορι πόντου,
36: κοίρανος ὃν φιλέεσκε, συνέμπορος εἶπε μαθητής·
37: αὐτὸς ἄναξ πέλεν οὗτος· ὁ δὲ σχεδὸν ὀξὺς ὀρούσας
38: εἵματι μυδαλέῳ λάγονας μιτρώσατο Σίμων
39: καὶ λινέῳ πεπύκαστο πολυτρήτῳ χρόα πέπλῳ
40: πόντιον ἀμφίβλημα περὶ γλουτοῖσιν ἑλίξας,
41: δέρμα, τόπερ διδύμων κεχαλασμένον εἰς πτύχα μηρῶν
42: ἰχθυβόλοι φορέουσιν ἀθήητου σκέπας αἰδοῦς —
43: γυμνὸν γὰρ δέμας εἶχεν ἐς ἠόνα δίκτυον ἕλκων.

Quaeritur, quo vestimento sive quibus vestimentis Petrus indutus fuerit, priusquam se in mare immisit. Ut statim dicam, quid sentiam, persuasum habeo hoc loco significari Petrum, primum de more piscatorum subligaculo tantummodo circumcinctum, priusquam ad Christum accederet, tunicam induisse eamque veste aliqua convoluta circumcinxisse. Verba Joannea, quae paraphrasta expli-

---

[1]) Jo. VI, 68; XXI, 2.
[2]) Par. I, 150; praeterea XXI, 28; 42.
[3]) Par. I, 155 †.
[4]) Par. I, 163 †.
[5]) Par. VI, 24 †.
[6]) Par. VI, 24; XXI, 24.
[7]) Par. XXI, 9 †.
[8]) Par. XXI, 35.
[9]) Cf. n. 79.

cat, sunt haec: *τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο, ἦν γὰρ γυμνός* [1]. *Ἐπενδύτης* [2] autem, ut etymon indicat, proprie non tunica sed pallium est. Tamen ipse evangelista vestimentum illud *διαζώννυσθαι* i. e. circumcingi dicit. Itaque aut vere tunica est aut pro tunica succingitur. Sic apud Plutarchum scriptum legitur: *ἐπένδυμα τῶν Σικελικῶν ζωστόν* [3]. Quare verba Joannea his modis possunt explicari:

1: Petrus tunicam induit,
2: Petrus tunicam induit et succinxit,
3: Petrus tunicam circumcinxit,

propterea quod nudus erat, i. e.

1: aut nulla veste indutus, excepto forte subligaculo,
2: aut non omnibus suis vestibus indutus, ita ut
a: aut tantummodo tunicam indutus esset,
b: aut tantummodo tunicam indutus non esset.

Petrus igitur

1: aut, omnino nudus, tunicam induit,
2: aut, omnino nudus, tunicam induit et succingit,
3: aut, sola tunica indutus, eam succingit,
4: aut, veste jam aliqua indutus, superinduit tunicam,
5: aut, veste jam aliqua indutus, superinduit et succingit tunicam.

In prima sententia est Theophylactus, qui dicit: „*Ἔστιν οὖν ὁ ἐπενδύτης λινοῦν τι χιτώνιον, ὃν οἱ Φοίνικες καὶ οἱ Σύροι ἁλιεῖς περιελίττουσιν ἑαυτοῖς εἴτε γυμνοὶ ὄντες, εἴτε ἐπὶ τοῖς ἱματίοις τοῦτο περιτιθέντες, ἁπλῶς δὲ εἰπεῖν, οἷον οἱ ζωγράφοι ποιοῦσι τοὺς ἀποστόλους, ἐπάνω τῶν ἱματίων περιειλιγμένους. Ἐπεὶ οὖν γυμνὸς ἦν ὁ Πέτρος, ἅτε περὶ τὴν ἄγραν πονούμενος, διὰ τὴν αἰδῶ περιελίττεται τον ἐπενδύτην, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ διαζώσασθαι*" [4]. Opponuntur enim verba: „*γυμνοὶ ὄντες*" iis, quae sequuntur: „*ἐπὶ τοῖς ἱματίοις τοῦτο ἐπιτιθέντες*". Praeterea tunicam induit propter verecundiam.

In tertia sententia est Euthymius, cujus verba sunt haec: „*τὸν ἐπενδύτην δὲ χιτώνιόν τι φασιν ἀχειρίδωτον, ἄχρι γονάτων περίστελλον· σύνηθες δὲ τοῦτο τοῖς θαλαττεύουσιν, εὐκινησίαν ἅμα καὶ εὐσχημοσύνην αὐτοῖς παρὰ τῷ ὕδατι περιποιούμενον· γυμνὸς μὲν*

---

[1]) Jo. XXI, 7; *γυμνός* †.
[2]) In Novo Test. Jo. XXI, 7 †; in V. T. I Sam. XVIII, 4; II Sam. XIII, 18 sq..
[3]) Cf. Soph. fr. 391 ap. Poll. VII, 45: *πέπλους τε νῆσαι λινογενεῖς τ' ἐπενδύτας.*
[4]) M. P. G. CXXIV, 305.

οὖν ἦν τῆς ἄλλης στολῆς αὐτοῦ· τοῦτον δὲ μόνον ἐπὶ τοῦ σώματος ἐνεδέδυτο ἄζωστον" [1]. Sed haec sententia probabiliter defendi non potest, non magis quam quarta et quinta. Nam vocabulum *γυμνός* semper significat: „nulla veste indutus"; sola autem perpetuitas verborum efficere potest, ut vox *γυμνός* concludatur in significationem: „certa quadam veste non indutus" vel: „certa quadam re non praeditus". Argumenta enim, quae, ut hoc evincat, affert doctus Sturtevant [2]), firma esse puto. Sed haec minime prohibent, quominus homo subligaculo tantum cinctus dicatur *γυμνός*. Quod probatur atque confirmatur hoc Dionysiacorum loco:

Dion. XXXVII, 556: *ζώματι δὲ σκεπόωντες ἀθήητον φύσιν αἰδοῦς,*
557: *γυμνοὶ ἀεθλεύοντες ἐφέστασαν* [3]).

In secunda denique sententia est paraphrasta, apud quem Petrus primum subligaculo tantum cinctus, deinde tunicam induit, tum eandem succingit panno quodam convoluto. Quater Nonnus loco laudato de vestimento loquitur, sc.

v. 38: *εἵματι μυδαλέῳ,*
v. 39: *λινέῳ . . . πολυτρήτῳ . . . πέπλῳ,*
v. 40: *πόντιον ἀμφίβλημα,*
v. 41: *δέρμα.*

Certum est *δέρμα* idem esse ac *πόντιον ἀμφίβλημα.* Eo enim vocabulo simul cum verbis, quae v. 41 sq. sequuntur, describitur et explicatur *πόντιον ἀμφίβλημα.* Sed hoc vestimentum et *πέπλος* inter se diversa sunt, cum *ἀμφίβλημα* sit corium, *πέπλος* vero *λίνεος*, i. e. vestis linea. Praeterea subligaculum non video, quomodo dici possit *πολύτρητον. Εἷμα* quoque idem non est ac *πόντιον ἀμφίβλημα.* Illud enim lumbos undique circumcingit, quod de hoc dici nequit. Petrus igitur praeter *εἷμα μυδαλέον* et *πέπλον λίνεον* „marinum involucrum circa nates involvit, corium, quod, geminorum demissum ad fissuram femorum, piscatores gestant celandi tegumentum pudoris." Et hoc subligaculo Petrus indutus jam erat, cum v. 33 sq. rete ad litus trahebat. Nam

Par. XXI, 23: *γυμνὸν γὰρ δέμας εἶχεν ἐς ἠόνα δίκτυον ἕλκων,*
particula *γάρ* spectat ad

38: *εἵματι μυδαλέῳ λαγόνας μιτρώσατο Σίμων*
39: *καὶ λινέῳ πεπύκαστο πολυτρήτῳ χρόα πέπλῳ,*

---

[1]) M. P. G. CXXIX, 1493.

[2]) The American J. of Phil. Vol. 33, 3, n. 131, 1912, p. 324: E. H. Sturtevant, *Γυμνός* and Nudus.

[3]) Cf. Rigler, Meletemata Nonniana, ad Dion. XXXVIII, 120.

ita ut Nonnus dixerit idem, quod evangelista dixit: τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο, ἦν γὰρ γυμνός [1]), i. e. tunicam circumcinxit, propterea quod nudus erat. Ad v. 40—42, qui de subligaculo agunt, haec particula spectare non potest. Quis enim Nonnum finxerit dicentem: Petrus, omnino nudus, primum subligaculo contexit pudorem, deinde tunicam induit et succinxit? Praeterquam quod Petrus tunicam induturus subligaculo non indiguit, tam cinctus quam non cinctus subligaculo γυμνός erat. Vox δέμας etiam indicare videtur Nonnum subligaculum neglexisse. Significat enim totius corporis figuram, formam, totum corpus. Sic verba Joannea: ὁ τρώγων με circumscribit: ἐμὸν δέμας εἰλαπινάζων [2]), et: ἔστιν γὰρ καθαρὸς ὅλος explicat: καθαρὸν γὰρ ὅλον δέμας [3])· Attamen non est, cur versum 43: γυμνὸν γὰρ cet. post v. 39: καὶ λινέῳ cet. positum esse velimus. Quamquam enim Petrus tunicam induit, propterea quod nudus erat, tamen eadem nuditas ei in causa fuit, cur subligaculo se texisset, cum piscaretur, propter verecundiam.

In explicandis versibus

Par. XXI, 38: εἵματι μυδαλέῳ λαγόνας μιτρώσατο Σίμων
39: καὶ λινέῳ πεπύκαστο πολυτρήτῳ χρόα πέπλῳ

aliquis labor et difficultas est. His versibus per circuitionem explicantur verba evangelistae: τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο. Prior versus duobus modis potest explanari et verti, sc.

1: vestimento madido [4]) pro tunica lumbos circumcinxit Simon,

2: vestimento madido pro cingulo lumbos circumcinxit Simon.

Sed cum versus 39 intime cum versu 38, qui praecedit, cohaereat, hic si priorem versus praecedentis versionem veram esse putas, vertendus est: et lineo contexit multiforo corpus vestimento, ita ut versu 39 eadem Petri actio designetur ac versu 38, qui praecedit. Tunicam igitur induit, quae lumbos circumdat. Si secus existimas et alteram versionem praefers, versus 39 verti debet: et lineo contexerat multiforo corpus vestimento. Primum igitur Petrus tunicam induit, deinde vestimento convoluto

---

[1]) Jo. XXI, 7.
[2]) Jo. VI, 57 = Par. VI, 172.
[3]) Jo. XIII, 10 = Par. XIII, 47; cf. ceteros Par. locos: I, 120; II, 108; III, 26; V, 8; 80; VI, 5; XI, 159; 170; 226; XIII, 44; XVIII, 117; XIX, 5; cf. Dion. XLVIII, 109.
[4]) Solus optimus codex V μυδαλέῳ habet, ceteri omnes δαιδαλέῳ. Sed quod ad versuum explanationem attinet, nihil refert. Εἶμα enim sive in navi positum sive corpori piscatoris circumdatum madidum fuisse maxime verisimile est.

pro cingulo eam succinxit. Equidem hanc versionem praeferre non dubito, ita ut Nonnus hoc dictum voluerit: vestimento madido pro cingulo lumbos circumcinxit Simon et lineo contexerat multiforo corpus vestimento. Duas igitur actiones describit versibus duobus. Sed ordinem descriptarum actionum invertit. Ea de re versu priori adhibet aoristum, versu secundo tempus vere plusquamperfectum. Ita actionem, qua lumbos cingulo succinxit Petrus et quae tempore posterior est, sub oculos nobis subjicit, sed alteram, qua tunicam citissime induit Petrus et quae tempore prior est, jam factam esse ponit, ita ut Petrum lumbos cingentem videamus, tunicam induentem non viderimus. Adductus sum, ut hanc explanationem praeferrem propria vocum et formarum vi atque natura. Sic enim magis simplici et evidenti ratione explicantur verba: *λαγόνας μιτρώσατο* i. e. lumbos, non totum corpus, vere circumcinxit, non induit, et vocabulo: *λινέῳ πεπύκαστο χρόα πέπλῳ* i. e. linea contexerat, non contexit, corpus tunica. Neque est, cur miremur, quod: *καὶ λινέῳ πεπύκαστο* cet. aequivaleat huic fere versioni: tunicam quoque jam induerat, cum Homerus dicat: *τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο* i. e. facile quoque jam innocentem accusaret[1]). Praeterea de Lazaro, corpus linteis sepulcralibus, caput autem sudario vincto, ipse paraphrasta dicit

Par. XI, 170: *σφιγγόμενον πλεκτῇσιν ὅλον δέμας εἶχε κερείαις*
171: *θερμὸν ἔχων ἱδρῶτα καλυπτομένοιο προσώπου·*
172: *καὶ λινέῳ πεπύκαστο καλύμματι κυκλάδα κόρσην,*
173: *σουδάριον τόπερ εἶπε Σύρων στόμα.*

Attamen quod priorem versuum versionem condemnemus, causa non est. Sic enim dixerit poëta: vestimento madido pro tunica lumbos circumcinxit Simon et lineo contexit multiforo corpus vestimento. Nam primum *εἶμα* et *πέπλος* idem vestimentum possunt significare; sunt enim vocabula omnibus vestimentis communia, ita ut *πέπλος* designet pallium

Par. XIX, 9: *καί μιν ἀνεχλαίνωσαν ἐπὶ χροὶ πέπλα βαλόντες;*

quodvis autem vestimentum

Par. XX, 82: *Χριστὸν ἴδε στίλβοντα θεοκμήτῳ τινὶ πέπλῳ*[2]).

Εἶμα autem linteum sepulcrale designat

Par. XX, 37: *καὶ πλοκάμων τελαμῶνα καὶ εἵματα κείμενα γαίῃ*

et quodvis vestimentum

---

[1]) Il. XI, 654; cf. Kühner-Blass II, 2, § 524, 1.

[2]) Cf. Dion. II, 571.

Par. XX, 73: δεξιτερὴν μέλλουσαν ἐς ἄμβροτον εἷμα πελάσσαι [1]. Deinde μιτρώσατο et πεπύκαστο eandem actionem possunt significare. Nam plusquamperfectum πεπύκαστο latine verti potest tempore imperfecto vel perfecto historico, si poëta utitur plusquamperfecto, ut indicet Petrum quam citissime vestem induisse. Homerus quoque dicit:

τὸν μὲν Μηριόνης ὅτε δὴ κατέμαρπτε διώκων,
βεβλήκει γλουτὸν κατὰ δέξιον [2], et ipse paraphrasta

Par. XXI, 104: Ἰησοῦν δ' ἀπάμειπτο κατηφέι Πέτρος ἰωῇ,

quod verbum ἀπάμειπτο idem valet atque εἶπεν [3]. Praeterea verbi μιτροῦσθαι vis, ut etymon indicat, est ζώννυσθαι μίτρᾳ. Est autem μίτρα vestimentum lumbos undique circumcingens, deinde vis ejus extenditur latius ad quodcunque cingulum, denique vero ad quamcunque rem, quae cinguli modo quodcunque circumdat. Sic apud Homerum legitur:

νείατον εἰς κενεῶνα, ὅθ' ἐζωννύσκετο μίτρην [4];

deinde de virginis cingulo

Dion. XLII, 119: καὶ σὺ ῥόον δολόεντα φυλάσσεο, μὴ σέο μίτρην
120: ψευδαλέος λύσειε, γαμοκλόπος ὥσπερ Ἐνιπεύς [5];

denique de Oceano terram circumcingente

Dion. II, 20: ζωσαμένη στεφανηδὸν ὅλην χθόνα κυκλάδι μίτρῃ.

Sic verbum μιτροῦσθαι quoque significat primum lumbos circumcingere μίτρᾳ, deinde corpus cingulo circumdare, ut

Dion. XLVIII, 114: ἐρευθιόωντι δὲ δεσμῷ
115: ἀκλινέων τροχόεσσαν ἴτυν μιτρώσατο μαζῶν;

postremo quodcunque quacunque re circumcingere, ut

Dion. I, 160: καὶ βοέας σπειρηδὸν ἐμιτρώσαντο κεραίας
161: οὐραίαις ἑλίκεσσι [6].

Prima significatione verbum μιτροῦσθαι in Paraphrasi, excepto, ut mea fert opinio, loco laudato Par. XXI, 38, scriptum non legitur, sed occurrit

Par. XIII, 20: καὶ λινέην λαγόνεσσι νόθην ἐζώσατο μίτρην [7],

---

[1]) Cf. Dion. I, 412; XLVIII, 109. [2]) Il. V, 65 sq..
[3]) Ἀπάμειπτο, Par. III, 25 cet.; cf. πεπότητο Par. XX, 79; cf. Kühner-Blass II, 1, p. 152, 5.
[4]) Il. V, 857; cf. IV, 137; 187 cet..
[5]) Cf. Dion. I, 347; II, 109; VIII, 119; XLII, 392.
[6]) Cf. Dion. I, 198; XLVIII, 193.
[7]) Cf. Jo. XIII, 4: λαβὼν λέντιον διέζωσεν ἑαυτόν.

quod mire consonat cum loco, de quo agitur. Neque occurrit altera significatio, sed scriptum est

Par. XXI 109: κουρίζων ἔτι, Πέτρε, τεὴν ἐζώννυσο μίτρην [1]).

Sed duobus locis tertia significatio occurrit, sc.

Par. XII, 63: Ἰησοῦς πεφόρητο μέσος μιτρούμενος ἀνδρῶν.

XX, 88: μιτρωθεὶς ἑτάροισι.

Itaque, si verbo μιτροῦσθαι loco laudato vis propria attribuitur, Petrus lumbos succinxit panno, quem in cingulum convolvit, i. e. μίτρᾳ νόθῃ. Si autem Nonnus verbo μιτροῦσθαι utitur abusive, Petrus lumbis circumcinxit vestimentum, tunicam dico. Postremum, quo versio, quam equidem non sequor, defenditur, est hoc, quod aliis quoque locis Nonnus ea, quae jam versu, qui praecedit, explicavit, iterum alio modo versu, qui sequitur, explicat, ut

Par. XIII, 29: Ἰησοῦν δ' ἀνέκοψε φίλον σέβας ὄμμασι φαίνων·

30: καί μιν ἐρητύων βριαρῇ μειλίξατο φωνῇ,

et particula καί omissa,

Par. XIII, 98: εἷς βροτὸς ὑμείων με φίλων ἑτάρων παραδώσει·

99: εἷς φίλος ἀλλοπρόσαλλος ὁμωρόφιός με δαμάσσει [2]).

Indolem Petri et rationem atque commercium, quae cum Christo habet, accurata diligentia paraphrasta describit atque pertractat. N. 17.
Vocabulo θρασύς exprimit id, quod maxime proprium Petri esse existimat, audaciam dico cum loquendi tum agendi. Hujus temeritatis causam apud Nonnum esse Petro celeritatem quandam atque levitatem ingenii in promptu est. Unde eum vocat αἰολόμητιν. Alterum, quod in Petro miratur, est praecipuus ejus in Christum amor et pietas. Ordine de his Petri vitiis et virtutibus agam, omnia, quae in Paraphrasi fecit dixitque, collato evangelio, tractaturus. Excipio pericopen, quae agit de Petri negatione, eamque, qua missio ejus describitur, ideo quod illa Petrum vitio abreptum committentem maximum peccatum depingit, haec summum ejus in Christum amorem celebrat. Has pericopas singulas singulis numeris pertractabo.

Vocabulum θρασύς [3]) in Paraphrasi semel et vicies legitur idque quinquies de Petro [4]). Duplex autem notio huic voci subjecta est. Accipitur enim, prout res postulat, sive in bonam sive

---

[1]) Cf. Jo. XXI 18: ἐζώννυες σεαυτόν.

[2]) Cf. Par. XIV, 29 sq..

[3]) Cf. n. 80. [4]) Par. I, 176; IV, 131; XVIII, 51; XXI, 71; 102.

in malam partem, ita ut significet aut: „qui est animo forti" aut: „audax, ferox, impudens". Quae igitur sit significatio vocis θρασύς, de Petro dictae, dijudicandum est e perpetuitate verborum. Itaque

Par. V, 176: Ἀνδρείας ὅθι ναῖεν, ὅπῃ θρασὺς ᾤκεε Σίμων,

quo explanatur Jo. I, 44: ἐκ τῆς πόλεως Ἀνδρέου καὶ Πέτρου, hanc rem dirimi non posse apparet. Hoc enim loco poeta Petrum nec loquentem neque agentem inducit. Sed clare indicat ejus animo insitum esse atque innatum, ut sit θρασύς. Solet Petrus θρασύς esse idque proprium est ejus. Idem declarat

Par. IV, 134: οὐδέ μιν εἴρετο Πέτρος, ἅτε [1]) θρασύς· οὐδέ τις αὐτὸν
135: τολμήσας ἐρέεινε, et XXI, 71: καὶ οὐ θρασὺς εἴρετο Σίμων.

His locis Nonnus rem ab evangelista narratam aliquantulum dilatavit, cum hic de Petro diserte non loquatur. Sed priori loco Joannes dicit: οὐδεὶς μέντοι εἶπεν [2]), ita ut paraphrasta, quamvis evangelium ansam non praebeat, nominatim Petrum ejusque θρασύτητα commemoret. Altero loco evangelista οὐδείς, inquit, ἐτόλμα τῶν μαθητῶν ἐξετάσαι αὐτόν [3]). Sed paraphrasta, fortasse nominis Petri memor ex iis, qui praecedunt, versibus [4]), iterum nomen inseruit, ut ostenderet ne Petrum quidem, quamvis occasionem ingenio suo indulgendi nactum, θρασὺν se praebuisse.

Loci, quibus Petrus, etsi θρασύς non dicatur, forti tamen animo se esse ostendit ejusque virtus laudari videtur, sunt Par. VI, 209—230 [5]); XIII, 94—113 [6]). Primo loco Petrus, multis discipulis Christum destituentibus, pro ceteris apostolis forti animo publice confitetur Christum esse Sanctum Dei. Quamobrem Dominus Petro fideli comiter et amanter respondit

Par. VI, 220: ἡδυεπὴς δὲ
221: ἀντίτυπον φάτο μῦθον ἄναξ πειθήμονι Πέτρῳ.

Evangelista autem dicit simpliciter: ἀπεκρίθη αὐτοῖς — non: αὐτῷ i. e. Petro — Ἰησοῦς [7]). Altero loco agitur de indicando Christi proditore. Ceteri apostoli timidi Christum interrogare non audent, neque tam forti animo est Petrus. Tamen innuit Joanni, ut Christum

---

[1]) Singularis hic in Nonno usus est particulæ ἅτε. Videtur mihi esse ita explicandus, ut particula οὐδέ fertur in totum cogitatum: μιν—ἅτε θρασύς. Tota igitur sententia: Πέτρος, ἅτε θρασύς, εἴρετο i. e. „Petrus, ut erat audax, sive alioquin tam audax, interrogavit" negatur.

[2]) Jo. IV, 27.

[3]) Jo. XXI, 12.

[4]) Par. XXI, 61 sqq. = Jo. XXI, 11.

[5]) Cf. Jo. VI, 67—71.

[6]) Cf. Jo. XIII, 21—26.

[7]) Jo. VI, 70.

interroget. Itaque Joannes a Nonno vocatur *θρασύς* [1]), non autem Petrus. Sed hunc laudare videtur, èt quod fortiori animo est quam ceteri discipuli èt quod modestus Joannem silentio interrogat. Sed hic ab evangelio paululum deflectit, quippe quod Petrum verbis interrogantem inducat: *νεύει οὖν τούτῳ Σίμων Πέτρος καὶ λέγει αὐτῷ· εἰπὲ τίς ἐστιν, περὶ οὗ λέγει* [2]). Contra

Par. XIII, 105: *τούτῳ Πέτρος ἔνευσε· λάλῳ δ' ἐρέεινε σιωπῇ,*

106: *τίς πέλεν, οὗ χάριν εἶπεν· ὁ δὲ θρασὺς ὀξέι παλμῷ* cet..

Ceteris autem locis paraphrasta *θρασύτητα* in Petro reprehendendam esse autumat, sc. Par. XIII, 17—54 [3]); 145—160 [4]); XVIII, 50—88 [5]). In prima pericope Petrus Christo, ipsius pedes lavaturo, dicit

Par. XIII, 37: *οὔποτε φαιδρύνειας ἐμοὺς πόδας, εἰς ὅσον ἕρπει*

38: *αἰὼν πουλυέλικτος,* quibus verbis circumscribitur

Jo. XIII, 8: *οὐ μὴ νίψῃς μου τοὺς πόδας εἰς τὸν αἰῶνα.* Audax igitur Petrus est, cum, modestiae immemor, Christo obloquatur dicenti: *ὃ ἐγὼ ποιῶ σὺ οὐκ οἶδας ἄρτι, γνώσῃ δὲ μετὰ ταῦτα* [6]). In altera Dominus Petrum se esse negaturum praedicit, postquam audax apostolus Christum nolentem se jam velle sequi sui capitis periculo affirmavit. *Θρασύς* igitur dixit

Par. XIII, 153: *οὐ δύναμαι ταχύγουνος ὀπισθοπόρῳ ποδὶ βαίνων*

154: *ὑμετέρης ἀβάτοιο ταμεῖν κενεῶνα κελεύθου;*

155: *καὶ ψυχὴν ἐθέλουσαν ὑπὲρ σέθεν ἐγγυαλίξω* [7]).

Cum his conferas, quaeso, Joannem Chrysostomum, qui dicit: *ὁ δὲ ἑαυτῷ θαρρεῖ, καί φησι· Καὶ εἰ πάντες σκανδαλισθήσονται* cet.... *ὅπερ εἰς αὐθάδειαν αὐτὸν ἦγε κατὰ μικρόν* [8]).

Denique Par. XVIII, 50: *ἀγχιφανὴς δὲ*

51: *Σίμων ἄορ ἔχων θρασὺς ἔσπασεν,*

aperte Petri audacia vituperatur a Domino, quem Nonnus hoc modo loquentem facit: *λῆγε χόλου* [9]). Sed his verbis paraphrasta evangelium amplificavit.

Planum igitur est, Nonnum evangelium dilatasse, ut id, quod maxime Petri proprium esse ducit, clare atque aperte indicet atque describat, sc. Petri *θρασύτητα* modo laude, modo vituperatione

---

[1]) Par. XIII, 106.
[2]) Jo. XIII, 24.
[3]) Cf. Jo. XIII, 4—11.
[4]) Cf. Jo. XIII, 36—38.
[5]) Cf. Jo. XVIII, 10 sq..
[6]) Jo. XIII, 7.
[7]) Cf. Jo. XIII, 37.
[8]) M. P. G. LVIII, 741.
[9]) Par. XVIII, 56.

dignam. Evangelium autem id, quod dixit fecitque Petrus, simpliciter narrat, de *θρασύτητος* vitio aut virtute mentione non facta. Celeritate quadam et levitate ingenii Petrus interdum non omnibus rebus circumspectis, imo vero nullo consilio agit. Eadem illi in causa est, quod a Nonno nuncupatur *αἰολόμητις* [1]) ejusque *θρασύτης* i. e. animus fortis in audaciae vitium vertitur. Vocabulum autem *αἰολόμητις* perraro tantum apud auctores occurrit, ut apud Hesiodum, Theog. 511, quo de Prometheo dicitur idemque fere est ac *ποικιλόμητις* i. e. vir „varii consilii", „astutus"; Aesch. Suppl. 1037, quo de Venere adhibetur, quae est „mobilis consilii". Sed Petrum astutum dici non posse planum est; simplex enim est atque apertus. Vocavit igitur eum Nonnus *αἰολόμητιν*, propterea quod est m o b i l i s c o n s i l i i. *Ταχύμητις* est Petrus idemque mobilis in capiendis consiliis. Itaque promptus est in loquendo et in agendo soletque èt loqui èt agere festinantius. Non equidem nego fieri posse, ut Petrus, non propterea quod commotus ejus animus fuerit, sed quia ducebatur ab Andrea currente, celer viator dicatur

Par. I, 159: *ὣς εἰπὼν ἐκόμισσεν ὁμόγνιον ὀ ξ ὺ ν ὁ δ ί τ η ν,*

160: *Ἰησοῦς ὅθι ναῖε.* Ceteri autem loci non solum indicant celerem Petri cursum, orationem, modum agendi, sed etiam animum fervidum capto celeriter consilio. Sic ceteros praeveniens respondet Christo

Par. VI, 216: *πρὸς τίνα φέρτερον ἄλλον ἱκάνομεν; ἀμφιέπεις γὰρ*
217: *ζωῆς ἀενάοιο μελίρρυτα χεύματα μύθων.*
218: *καὶ προτέρων δεδαῶτες ἀσιγήτων ἀπὸ βίβλων*
219: *ἀπλανέες πιθόμεσθα μιῇ καὶ ὁμόφρονι βουλῇ,*
220: *ὅττι θεοῦ σὺ πέλεις ἅγιος μόνος.*

Quo loco Nonnus èt evangelium amplificavit èt orationem Petri firmiorem fecit additis praesertim verbis: *ἀπλανέες* et: *μιῇ καὶ ὁμόφρονι βουλῇ,* cum evangelista dicit: *καὶ ἡμεῖς πεπιστεύκαμεν καὶ ἐγνώκαμεν* [2]). Sic singulare mobilis ingenii specimen praebet Petrus, cum Christus ad eum accedit, ut pedes ejus lavet. Primum

Par. XIII, 28 sqq.: *ταχὺς δ' ἀντέσπασε Σίμων (τοὺς πόδας)* cet.;

deinde, a Christo vituperatus, totum corpus lavari iubet

Par. XIII, 42: *ναὶ λίτομαι, μὴ μοῦνον ἐμοὺς πόδας, ἀμφοτέρας δὲ*
43: *νίψον, ἄναξ, καὶ χεῖρας ἐμὰς καὶ κυκλάδα κόρσην,*
44: *ναὶ πάλιν, ἢν ἐθέλῃς, καὶ ὅλον δέμας.*

---

[1]) Par. XXI, 120 †; cf. n. 81. [2]) Jo. VI, 69.

„*Καί*", inquit Chrysostomus, „*ἐν τῇ παραιτήσει σφοδρὸς, καὶ ἐν τῇ συγχωρήσει σφοδρότερος γίνεται*"[1]. De pedibus autem retractis deque toto corpore lavando evangelium Joanneum silet. Eodem modo Petrus magnopere commovetur, cum dicit festinantius

Par. XIII, 147: *κοίρανε, πῇ σπεύδεις; τίνα μοι, τίνα χῶρον ἱκάνεις*[2];

quo in evangelio legitur: *κύριε, ποῦ ὑπάγεις*[3]; Quin etiam, vetante Domino, nullo capto consilio, vehementer properare cupit atque Dominum sequi

Par. XIII, 153: *οὐ δύναμαι ταχύγουνος ὀπισθοπόρῳ ποδὶ βαίνων*
154: *ὑμετέρης ἀβάτοιο ταμεῖν κενεῶνα κελεύθου;*

Tamen eum haud perspectis circumstantiis talia loqui magis aperte narrat evangelista, qui: *Διὰ τί,* inquit, *οὐ δύναμαί σοι ἀκολουθῆσαι ἄρτι*[4]; Denique, quae futura sunt, haud prospiciens, audet affirmare

Par. XIII, 155: *καὶ ψυχὴν ἐθέλουσαν ὑπὲρ σέθεν ἐγγυαλίξω.*

Festinantius agit, cum Malchi abscidit aurem[5], festinat ad inane Christi sepulcrum, licet Joannes illum praeveniat

Par XX, 16: *καὶ ὡς ἔχε Πέτρος ἀκούσας,*
17: *ἔμπνοος οἰστρηθέντι ποδῶν διφήτορι ταρσῷ*
18: *ἄνθορεν ἐκ μεγάροιο· καὶ ὡμάρτησε μαθητὴς*
19: *ἄλλος ὁμῶς ἐπὶ σῆμα, καὶ εἰς δρόμον ἔτρεχον ἄμφω.*
20: *καὶ φθάμενος Σίμωνα ποδήνεμος ἦλθε μαθητὴς*
21: *Πέτρου σπερχομένοιο θοώτερος.*
26: *ἑσπομένοις δὲ πόδεσσιν ὀπίστερος ἵκετο Σίμων*
27: *καὶ ταχὺς ἔνδον ἵκανεν.*

His versibus Petri celer cursus eminet, cujus evangelium diserte mentionem non facit. Narrat enim Joannes: *Ἐξῆλθεν οὖν ὁ Πέτρος καὶ ὁ ἄλλος μαθητής, καὶ ἤρχοντο εἰς τὸ μνημεῖον ... καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ μνημεῖον*[6]. Haud secus properanter agit, animo commoto, cum desilit in mare, ut Christo celerius accedat, ut patet

Par. XXI, 37: *ὁ δὲ σχεδὸν ὀξὺς*[7] *ὀρούσας,* et
44: *ταχὺς εἰς ῥόον ἆλτο,* ubi apud Joannem legitur: *ἀκούσας ὅτι ὁ κύριός ἐστιν, τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο ... καὶ ἔβαλεν ἑαυτὸν εἰς τὴν θάλασσαν*[8], et v. 61: *θορὼν ἀνεβήσατο,* quod verbum *θορὼν* evangelium omittit[9]. Patet igitur Nonnum evan-

---

[1] M. P. G. LIX, 383.
[2] Idem versus Par. XVI, 20.
[3] Jo. XIII, 36.
[4] Jo. XIII, 37.
[5] Cf. Par. XVIII, 50—58 = Jo. XVIII, 10 sq..
[6] Jo. XX, 3 et 6.
[7] Codices vulgo: *ἐγγύς*; correxit Tiedke.
[8] Jo. XXI, 7.
[9] Cf. Jo. XXI, 11.

gelium identidem amplificasse, ut non solum factis, sicut Joannes, sed etiam verbis Petrum virum esse mobilis ingenii, festinanter agere solere, saepius ea de causa audaciae vitio peccare, demonstret.

Verumtamen temeritatis vitio raptus, Petrus in Christum Dominum peccare potest imprudenter, malo consilio ei injuriam facere non potest. Mirus enim ejus in Christum est amor et pietas. Id paraphrasta polite eloquitur et exprimit, cum dicit

Par. XIII, 29: *Ἰησοῦν δ' ἀνέκοψε φίλον σέβας ὄμμασι φαίνων·*
30: *καί μιν ἐρητύων βριαρῇ μειλίξατο φωνῇ* [1]); iterum
36: *καί οἱ Πέτρος ἔλεξε χέων ἡδεῖαν ἀπειλήν* [2]); necnon
146: *μειλιχίοις ὀάροισι φιληκόος ἔννεπε Σίμων* [3]).

Verum eadem erga Christum pietas facit, ut mox poenitentia errorem corrigat, obediat Domino, fidem Christo profiteatur. Unde vocatur *πειθήμων* [4]) et *νόῳ πειθήμονι* [5]) locutus esse dicitur. Hoc vocabulum significat: „obsequens, obediens". Apud Nonnum latius extenditur etiam in eum, „qui credit", ut

Par. IX, 88: *ἀρτιφαὴς δ' ἀδόνητος ἀνὴρ πειθήμονι μύθῳ*
89: *ἔννεπε τολμήεις· ὅτι θεσκελός ἐστι προφήτης.*

Locis de Petro laudatis ambae significationes conjunguntur.

Par. XIII, 105: *λάλῳ δ' ἐρέεινε σιωπῇ*

Petrus pietate et maestitia retinetur, ne aperte Dominum de proditore interroget, sed nutu Joanni significet, ut interroget. De hac mira in Christum pietate, quam Nonnus verbis exquisitissimis extollit, evangelium, quamquam enarrat ea, quae Petrus amore Christi ductus fecit, omnino tacet.

N. 18. Jam de Petro, negante se Christum nosse, pauca dicam. Nam ea, quae Petrus tum dixit et fecit, ab ejus moribus abhorrere videri possunt. Verum enimvero Petri indoli ea maxime congruere Nonnus mirum in modum exposuit. Par. XVIII, 78—129 Petrus metu perculsus Christum se nosse negat, audaciae pristinae et antiquae pietatis immemor. Sed si diligenter attendas audacis naturam, Petrum, ceteroqui audacem, in hac re metu fuisse fractum non est, cur mireris. Audax fuit, cum dixit

Par. XIII, 155: *καὶ ψυχὴν ἐθέλουσαν ὑπὲρ σέθεν ἐγγυαλίξω.*

---

[1]) Cf. Jo. XIII, 6: *λέγει αὐτῷ.*

[2]) Cf. Jo. XIII, 8: *λέγει αὐτῷ Πέτρος*; cf. Chrys. M. P. G. LIX, 383; *ἑκάτερα δὲ ἐξ ἀγάπης.*

[3]) Cf. Jo. XIII, 36: *λέγει αὐτῷ Σίμων Πέτρος.*

[4]) Par. VI, 221; cf. n. 82. [5]) Par. XIII, 41.

Fiduciam habuit sui erga Christum amoris nondum satis probati, haud reputatis secum periculis, ut erat celeris mobilisque ingenii. In ipso periculi discrimine consilii inops in terrorem conjicitur, animo deficit, metu quasi exanimatus se Christi discipulum esse negat.

In horto, occaecatus audacia, gladium eduxit

Par. XIII, 51: Σίμων ἄορ ἔχων θρασὺς ἔσπασε.

Paulo post, quasi animo malum praesagiens, sed Christi amore ductus, Dominum e longinquo sequitur

Par. XVIII, 70: καὶ οἱ ὀπισθοκέλευθος ὁμάρτεε τηλόθι [1]) Σίμων
74: καὶ βραδὺς αὐτόθι Πέτρος ἐλείπετο νόσφι θυράων,

ita ut eum tardantem et quasi reluctantem „discipulus alius, qui erat notus pontifici" [2]) in domum introducere non potuerit nisi manu arrepta i. e. χειρὸς ἔχων [3]). De his animi commotionibus in evangelio Joanneo nihil legitur. Narrat enim: Ἠκολούθει δὲ τῷ Ἰησοῦ Σίμων Πέτρος καὶ ἄλλος μαθητής... ἐξῆλθεν οὖν ὁ μαθητὴς ὁ ἄλλος... καὶ εἰσήγαγεν τὸν Πέτρον [4]).

Necopinato de Christo interrogatum timor occupat manifestus

Par. XVIII, 81: Σίμων δ' ἀντιάχησε φόβου σημάντορι [5]) φωνῇ

et Christi discipulum se esse negat. Tum perturbatus

Par. XVIII, 89: καὶ μέσος αὐτῶν
90: ἄψοφος [6]) ἵστατο Πέτρος ἔχων ἄγνωστον [7]) ὀπωπήν.

Animo angebatur; erat enim ἀλύων [8]) i. e. timidus ac confusus animo, tam quia ignotus incognitis viris asperis immixtus erat quam quod ancillae acerbe cavillanti irrisui fuerat. De Christo enim i. e. de Messia eum interrogaverat, ita ut de Christo i. e. de Messia ipsum respondere necesse fuisset. Hoc patet

Par. XVIII, 80: μὴ καὶ σὺ πέλεις Χριστοῖο μαθητής;
82: ὦ γύναι, οὐ Χριστοῖο συνέμπορός εἰμι μαθητής.

Unde Augustinus: „Ecce", inquit, „columna firmissima ad unius aurae impulsum tota contremuit. Ubi est illa promittentis audacia et de se plurimum praefidentis" [9])? Sed iterum de Christo inter-

---

[1]) Apud solos synopticos legitur: (ἀπὸ) μακρόθεν, Matth. XXVI, 58; Marc. XIV, 54; Luc. XXII, 54.

[2]) Jo. XVIII, 16. [3]) Par. XVIII, 78. [4]) Jo. XVIII, 15 sq..

[5]) Voces: σημάντορι φωνῇ scripta leguntur Par. I, 119; II, 39; V, 38; XIII, 121 et l.l. Σημάντωρ, quæ vox est poetica jam inde ab Homero usitata, valet: „indicans, significans, jubens"; cf. Dion. XXXVII, 551, ubi de Dionyso dicitur. [6]) Præterea Par. XX, 47.

[7]) Par. I, 109; II, 94; IX, 148; XIII, 136 et l.l.

[8]) Par. XVIII, 116 †. [9]) M. P. L. XXXV, 1933.

rogatur Petrus, cum esset *ἀλλοφανής*[1]) i. e. advena, a pontificis ministris. Praeterea *νεήλυς*[2]) est i. e. nuper advenit. Atque iterum se a Christo stare infitias it, verum jam mendaci verbo, *ἐνέπων ψευδήμονι μύθῳ*[3]). Conscius sibi est se mentiri. Tandem tertio infitiatur se esse Christi discipulum idque consueta voce, *ἐθήμονι*[4]) *ἰωῇ*[5]). Itaque jam non excidit ex ejus ore verbum, quo negat se Christum nosse, sed jam quasi assuefactus est Petrus Christum negare. Sed hoc quoque est audacis, cum est inops consilii, subito incidere in contrarium vitium inque eo haerere. Tamen „vidit in te (o Petre) Dominus non fidem victam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam"[6]).

In hac pericope Nonnus evangeliis synopticorum usus non est. Patet ex hoc, quod non loquitur de Jesu Galilaeo[7]) vel Nazareno[8]) sed de Christo[9]), quod Petrum non pejerantem[10]) neque detestantem[11]) inducit, denique quod non unam omnium evangeliorum concinentem historiam narravit. Sed dilatavit evangelium Joanneum, indole Petri ejusque peccato fervidissima oratione depictis. Evangelium enim tantummodo narrat: *λέγει οὖν τῷ Πέτρῳ ἡ παιδίσκη ἡ θυρωρός· μὴ καὶ σὺ ἐκ τῶν μαθητῶν εἶ τοῦ ἀνθρώπου τούτου; λέγει ἐκεῖνος· οὐκ εἰμί... εἶπον οὖν αὐτῷ· μὴ καὶ σὺ ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ εἶ; ἠρνήσατο ἐκεῖνος καὶ εἶπεν· οὐκ εἰμί. λέγει εἷς ἐκ τῶν δούλων τοῦ ἀρχιερέως....· οὐκ ἐγώ σε εἶδον ἐν τῷ κήπῳ μετ' αὐτοῦ; πάλιν οὖν ἠρνήσατο Πέτρος*[12]).

N. 19. Superest, ut dicam de pericope Par. XXI, 81—118[13]), qua agitur de missione Petri. Sed primum inquirendum esse mihi videtur, utrum jam Par. XIII, 17 sqq., ubi agitur de Christo pedes discipulorum lavaturo, insinuetur a Nonno futurum esse, ut Petrus ceteris apostolis praeponatur necne. Legitur enim scriptum

---

[1]) Cf. no. 83. [2]) Cf. no. 84.
[3]) Par. XVIII, 122. [4]) Cf. n. 82. [5]) Par. XVIII, 128.
[6]) M. P. L. LIV, 345, Leo I, sermo de Passione Domini 9; cf. P. G. Groenen, Het lijden en sterven van O. H. J. Chr., p. 254 sqq..
[7]) Cf. Matth. XXVI, 69.
[8]) Cf. Matth. XXVI, 71; Marc. XIV, 67.
[9]) Cf. Par. XIII, 159: *Χριστὸν ἀπαρνήσαιο*.
[10]) Cf. Matth. XXVI, 72.
[11]) Cf. Matth. XXVI, 74; Marc. XIV, 71.
[12]) Jo. XVIII, 17; 25—27. [13]) Cf. Jo. XXI, 15—19.

Par. XIII, 24: *Χριστὸς ἑῶν ἑτάρων φιλίους πόδας ἤρξατο νίπτειν*
25: *λοίσθιον ἐκ πρώτου μετανεύμενος ἄλλον ἐπ᾽ ἄλλῳ·*
26: *ἀρχόμενος Σίμωνος ἕως ἰδίοιο φονῆος·*
27: *πρεσβυτέρῳ Σίμωνι παρίστατο καὶ πόδας αὐτοῦ*
28: *ἀμφοτέρους κρατέεσκε.*

In hac narratione animadvertendum est 1: Nonnum stare cum iis, qui Christum primum ad Petrum accessisse autumant, non cum iis, qui existimant Petri pedes postremo lotos esse neque cum iis, qui Christum primum Judae pedes lavisse putant sed ultimo; 2: eum de Petro scripsisse: *πρεσβυτέρῳ Σίμωνι.* Sic Augustinus: „Quando ergo", inquit, „pedes discipulorum lavare coepit, venit ad eum, a quo coepit, id est, ad Petrum" [1]). Facit igitur Nonnus cum graeco quodam auctore, qui in eadem atque Augustinus sententia est. Etenim ipsum Augustinum non legit, ideo quod latine nesciit [2]). At Chrysostomus dicit: „*Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ τοῦ προδότου πρώτου νίψαι τοὺς πόδας, ἐκ τοῦ εἰπεῖν, Ἤρξατο νίπτειν τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, καὶ ἐπαγαγεῖν, Ἔρχεται πρὸς Σίμωνα Πέτρον*" [3]).

Quod attinet ad vocem *πρεσβύτερος*, haec significat vel: „major natu", vel: „prior", vel: „venerabilior". Occurrit in Paraphrasi I, 7; 166; IV, 253 et loco laudato. Sed manifestum est vocabulum *πρεσβύτερος* tribus prioribus locis valere „prior", sc.

Par. I, 5: *(ὁ λόγος) οὗτος ἀπ᾽ ἀρχῆς*
6: *ἀενάῳ συνέλαμπε θεῷ, τεχνήμονι κόσμου,*
7: *πρεσβύτερος κόσμοιο;* deinde

Par. I, 165: *ἐπωνυμίην δὲ καλύψει*
166: *πρεσβυτέρην Σίμωνος ὑπέρτερον* [4]) *οὔνομα Πέτρου;*

tum Par. IV, 253: *πρεσβύτερον μετὰ θαῦμα φιλακρήτων ὑμεναίων,* quo duorum operum mirabilium a Christo Canae factorum, sc. aquae in vinum conversae et filii *τοῦ βασιλικοῦ* sanati, illud tempore praecessisse affirmat. Praeterea idem significat

Dion. XLVIII, 28: *Γαῖα χολωομένη διδύμους θώρηξε φονῆας,*
29: *πρεσβυτέρους Τιτῆνας ἐπὶ προτέρῳ Διονύσῳ,*
30: *ὁπλοτέρους δὲ Γίγαντας ἐπ᾽ ὀψιγόνῳ Διονύσῳ.*

---

[1]) M. P. L. XXXV, 1788. [2]) Cf. n. 56. [3]) M. P. G. LIX, 383.

[4]) Voci *ὑπέρτερος* Nonnus hic tribuere videtur vim: „superior, nobilior", quam in Paraphrasi illi semper tribuit, ut

Par. V, 141: *μείζονα μαρτυρίην μεθέπω καὶ ὑπέρτερον ὀμφήν;*

cf. Par. II, 53 de vino mirabili; XIV, 52 de factis mirabilioribus. Non igitur hæc vox significat: „junior", sicut veteres falso interpretati sunt

Il. XI, 786 sq.: *γενεῇ μὲν ὑπέρτερός ἐστιν Ἀχιλεύς, | πρεσβύτερος δὲ σύ ἐσσι·*

Petrum autem loco laudato majorem natu dici verisimile non est. Licet enim fieri possit, ut dicatur major natu quam alter Simon, qui est Zelotes, aut quam ceteri omnes apostoli, tamen, quae ratio suppeditet, cur ita fiat, non video, praesertim cum evangelium Joanneum de Simone Zelota non loquatur. Verum vertendum esse: „priori Simoni adstitit" non possum approbare. Etenim apud auctores graecos inusitatum est, ut adhibeant vocem *πρεσβύτερος* ad indicandum ordinem, qui inter duas actiones intercedit; sed hoc vocabulo ita utuntur, ut propria vis: „major natu, senior" aliquatenus servetur. Itaque res ipsa *πρεσβυτέρα* dicitur quam altera, res cum re comparatur. Sed ad designandum ordinem, quo eadem actio refertur ad hanc rem priusquam ad alteram, solent adhibere vocem *πρότερος*. Superest igitur, ut locus laudatus vertatur: „venerabiliori Simoni adstitit". Quodsi ita est, paraphrasta verbis: *πρεσβυτέρῳ Σίμωνι παρίστατο* non iterat ea, quae versu praecedenti explicavit verbis: *ἀρχόμενος Σίμωνος,* sed assignat causam, cur Petro pedes laventur primum. Quippe erat venerabilior ceteris. Hoc autem paraphrastam dicere voluisse non est, cur miremur. Nam èt evangelium èt ejus paraphrasis passim [1]) Petrum praeferunt ceteris apostolis.

Sed ut ipsam rem aggrediar, quae Nonnus habet de missione Petri, sunt haec:

Par. XXI, 81: *εἰλαπίνης δ' ἔψαυσε· καὶ εἰν ἑνὶ πάντας ἐάσας*
82: *ἰχθυόεν μετὰ δεῖπνον ἀδαιτρεύτοιο τραπέζης*
83: *ἀγχιπόρῳ Σίμωνι θεηγόρον ἔννεπε φωνήν·*
84: *Σίμων, γνήσιον ἔρνος Ἰωάνναο τοκῆος,*
85: *συμμιγέων ἐμὲ μᾶλλον ὅλων ἑτάρων ἀγαπάζεις;*
86: *καί οἱ Πέτρος ἔφη· ναὶ κοίρανε, καὶ σὺ δὲ θυμῷ*
87: *οἶδας, ὅσον φιλέω σε, καὶ οὐ μύθοιο χατίζεις.*
88: *καὶ ζαθέοις στομάτεσσιν ἄναξ ἐπετέλλετο Πέτρῳ·*
89: *βόσκε μοι ἔμφρονας ἄρνας ἀσιγήτους [2]) σέο ῥάβδῳ.*
90: *Ἰησοῦς δ' ἐρέεινεν ἀμοιβάδι Πέτρον ἰωῇ·*
91: *Σίμων, ἀγλαόπαιδος Ἰωάνναο γενέθλη,*
92: *μοῦνον ὁμοζυγέων φιλέεις ἐμὲ μᾶλλον ἑταίρων;*
93: *καὶ πετάσας βασιλῆι τὸ δεύτερον ἀνθερεῶνα*
94: *ἀνδρομέης ἀγέλης ἁλιεὺς ἐφθέγξατο Σίμων·*
95: *ναί, βασιλεῦ· σὺ δὲ μάρτυς ἐμῆς φρενὸς οἶσθα καὶ αὐτός,*

---

[1]) Cf. Par. I, 162 sqq. = Jo. I, 43; Par. VI, 209 sqq. = Jo. VI, 67 sqq..
[2]) Ita Scheindler; codices vulgo: *ἀσιγήτῳ*.

96: *ὅσσον ἐγὼ γλυκὺ φίλτρον ἀθέσφατον εἰς σὲ κομίζω.*
97: *καὶ πινυτῷ παλίνορσος ἄναξ μυθήσατο Πέτρῳ·*
98: *ἡμετέρων ποίμαινε νοήμονα πώεα μήλων.*
99: *Ἰησοῦς δ' ἀγόρευε παλίσσυτον ἠθάδα φωνήν·*
100: *πατρὸς Ἰωάνναο θεουδέος ἔκγονε Σίμων,*
101: *ἀσφαλέως ποθέεις με πολὺ πλέον ἤέπερ ἄλλοι;*
102: *καὶ θρασὺς ἄχνυτο Πέτρος, ὅτι τρίτον εἶπεν Ἰησοῦς·*
103: *μᾶλλον ἐμῶν ἑτάρων με φιλοστόργων ἀγαπάζεις;*
104: *Ἰησοῦν δ' ἀπάμειπτο κατηφέι Πέτρος ἰωῇ·*
105: *πάντα σὺ γινώσκεις, ὅσα μήδομαι, ὄρχαμε κόσμου,*
106: *καὶ νοέεις ἀτίνακτον ἐμῆς φιλότητος ὀχῆα,*
107: *οἷον ἔχων φιλέω σε. θεὸς δ' ἀντίαχε μύθῳ·*
108: *οὐρανίῃ ποίμαινε καλαύροπι μῆλα καὶ ἄρνας.*
109: *κουρίζων ἔτι, Πέτρε, τεὴν ἐζώννυσο μίτρην*
110: *καὶ ποδὸς ἴχνος ἔκαμπτες, ὅπῃ μενέαινες ὁδεύειν·*
111: *ὀψὲ δὲ γηράσκων τανύσεις σέο χεῖρας ἀνάγκῃ,*
112: *καί σε περισφίγξουσιν ἀφειδέες ἀνέρες ἄλλοι*
113: *εἴς τινα χῶρον ἄγοντες, ὃν οὐ σέο θυμὸς ἀνώγει·*
114: *εἶπε προθεσπίζων θανάτου τέλος ἴδμονι φωνῇ,*
115: *οἵῳ Πέτρος ἔμελλε θανὼν βασιλῆα γεραίρειν·*
116: *καὶ σοφίης πλήθοντι θεὸς πάλιν ἔννεπε Πέτρῳ·*
117: *ἄρνας ἐμὰς ποίμαινε σαόφρονας ἄνθεσι βίβλων.*
118: *καί οἱ Χριστὸς ἔλεξεν· ἐφέσπεο.*

In hac pericope vitium audaciae a Petro funditus sublatum videmus. Jam, qui audax fuit, fortissimus est. Quod ut clarius emineat, Nonnus Petro vel his ipsis in rebus speciem audacis praebet. Ter enim Dominum interrogantem inducit de amore sui omnium summo; at contra semel tantummodo evangelista Christum de omnium summo amore loquentem facit. Legitur enim:

Jo. XXI, 15: *Σίμων Ἰωάνου, ἀγαπᾷς με π λ έ ο ν τούτων;*
16: *Σίμων Ἰωάνου, ἀγαπᾷς με;*
17: *Σίμων Ἰωάνου, φιλεῖς με;*
praeterea 17: *φιλεῖς με;* Quibuscum conferas
Par. XXI, 84: *Σίμων, γνήσιον ἔρνος Ἰωάνναο τοκῆος,*
85: *συμμιγέων ἐμὲ μ ᾶ λ λ ο ν ὅλων ἑτάρων ἀγαπάζεις;*

91: *Σίμων, ἀγλαόπαιδος Ἰωάνναο γενέθλη,*
92: *μοῦνον ὁμοζυγέων φιλέεις ἐμὲ μ ᾶ λ λ ο ν ἑταίρων;*

100: *πατρὸς Ἰωάνναο θεουδέος ἔκγονε Σίμων,*

101: *ἀσφαλέως ποθέεις με πολὺ πλέον ἤέπερ ἄλλοι;*
et 103: *μᾶλλον ἐμῶν ἑτάρων με φιλοστόργων ἀγαπάζεις;*

Consulto his appellationibus idem Simonis, filii Joannis, nomen sollemniter adhibuisse videtur atque ipsum evangelium. Praeterea gradatione quadam usus est, praesertim cum ad secundam interrogationem addiderit vocem *μοῦνον*, ad tertiam autem verba *πολὺ πλέον*. Fortasse etiam adhibuit verba: *ἀγαπάζειν, φιλεῖν, ποθεῖν,* ut gradationen aliquam designet.

Ad has autem interrogationes bis Petrus respondet se Dominum unice diligere majori studio quam ceteri discipuli eum diligant; contra semel maxime in evangelio Petrus hoc affirmat, sc.

Jo. XXI, 15: *ναί, κύριε, σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε.*
16: *ναί, κύριε, σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε.*
17: *κύριε, πάντα σὺ οἶδας, σὺ γινώσκεις ὅτι φιλῶ σε.*

Sed legitur
Par. XXI, 86: *ναὶ κοίρανε, καὶ σὺ δὲ θυμῷ*
87: *οἶδας, ὅσον φιλέω σε, καὶ οὐ μύθοιο χατίζεις·*

95: *ναί, βασιλεῦ· σὺ δὲ μάρτυς ἐμῆς φρενὸς οἶσθα καὶ αὐτός,*
96: *ὅσσον ἐγὼ γλυκὺ φίλτρον ἀθέσφατον εἰς σὲ κομίζω.*

105: *πάντα σὺ γινώσκεις, ὅσα μήδομαι, ὄρχαμε κόσμου,*
106: *καὶ νοέεις ἀτίνακτον ἐμῆς φιλοτῆτος ὀχῆα,*
107: *οἶον ἔχων φιλέω σε.*

Prima vice Petrus fortis verum dicit, suo judicio usus, tam in evangelio quam in Paraphrasi: „Ita est, Domine". Sed signa quoque verecundiae adsunt, cum se Dominum diligere magis quam ceteri eum diligant, diserte eloqui non audeat; sed apud Joannem: *σὺ οἶδας, ὅτι φιλῶ σε* addit, apud Nonnum aliquantum magis sui confidens: *οἶδας, ὅσον φιλέω σε.*

Secunda autem vice evangelium de Petri erga Christum amore, ceteros superante, tacet, verum paraphrasta Petrum se amore ceteros vincere affirmantem inducit: *φιλέεις ἐμὲ μᾶλλον ἑταίρων; ναί, βασιλεῦ.* Tamen aperte idem non enuntiat verbis, quae sequuntur, licet perspicue et diserte testetur se Dominum amare ex animi sententia, summo studio: *οἶσθα καὶ αὐτός,*

ὅσσον ἐγὼ γλυκὺ φίλτρον ἀθέσφατον εἰς σὲ κομίζω.

Speciem igitur audacis praebet, sed audax minime est. Non enim impotens sui elatius se gerit, sed plenus persuasionis se vere

Dominum amare majori studio, quam ceteri eum diligant, tam fortis quam modestus verum enuntiat.

Tertia vice, evangelio nude rem narrante, paraphrasta summam adhibet gradationem, quod attinet ad amorem firmum atque invictum. Trina enim Christi interrogatione minime adductus est, ut amoris dubius fieret sed *θρασὺς ἄχνυτο Πέτρος* i. e. non sui, sed Christi confidens contristatus est[1]). Attamen summa verecundia ductus audax amorem alios superantem affirmare jam ausus non est, sed

Par. XXI, 105: *Ἰησοῦν δ' ἀπάμειπτο κατηφέι*[2]) *Πέτρος ἰωῇ·*

106: *πάντα σὺ γινώσκεις* cet., i. e. respondit voce pudore suffusa. Propter hanc amoris sui fiduciam modestumque responsum Petrus a Nonno post secundam jam ejus orationem „prudens" vocatur

Par. XXI, 97: *καὶ πινυτῷ*[3]) *παλίνορσος ἄναξ μυθήσατο Πέτρῳ·*

Post singula autem Petri responsa ter Dominus ei ovium suarum curam mandat, sc.

Jo. XXI, 15: *βόσκε τὰ ἀρνία μου·*

16: *ποίμαινε τὰ προβάτιά μου* (h R: *πρόβατα*).

17: *βόσκε τὰ προβάτιά μου* (h: *πρόβατα*); et apud Nonnum:

Par. XXI, 89: *βόσκε μοι ἔμφρονας ἄρνας ἀσιγήτους σέο ῥάβδῳ·*

98: *ἡμετέρων ποίμαινε νοήμονα πώεα μήλων·*

108: *οὐρανίῃ ποίμαινε καλαύροπι μῆλα καὶ ἄρνας.*

Primo mandato Nonnus iisdem fere verbis utitur atque evangelium et agnos designat. *Ἄρνες* enim et *ἀρνία* praecipue agnos significant. Sed addit: *ἀσιγήτους σέο ῥάβδῳ.* Quamvis enim codices vulgo exhibeant lectionem: *ἀσιγήτῳ,* tamen Scheindlerianam: *ἀσιγήτους* secutus sum. Nam vox *ἀσίγητος* significat 1: „is, de quo non tacetur", „insignis", „celeber", ut

Par. XI, 227: *πρίν περ ἀσιγήτοιο φανήμεναι ἦμαρ ἑορτῆς;*

2: „is, qui non tacet", ut

Par. VI, 103: *ἀντιπέρην εὑρόντες ἀσιγήτοιο θαλάσσης.*

---

1) Cf. Chrys. M. P. G. LIX, 479: *διὰ τοῦτο πάλιν ἐπ' αὐτὸν (Χριστὸν) καταφεύγει.*

2) Cf. no. 85.

3) Praeterea: Par. II, 72; VII, 172; cf. Od. I, 122 cet.. Compositum vocabulum *πινυτόφρων* legitur Par. X, 103 sq.:

οὐδέ τις ἁρπάξειεν ἐμὴν πινυτόφρονα ποίμνην
χειρὸς ἀφ' ἡμετέρης; Dion. XVI, 185:
σύνδρομος ὡμάρτησε κύων πινυτόφρονι θυμῷ.

Sic quoque ceteris Paraphrasis locis, VII, 40; IX, 78; XIX, 55; XXI, 2 [1]). His accensendus est

Par. VI, 218: *καὶ προτέρων δεδαῶτες ἀσιγήτων ἀπὸ βίβλων,*
quocum conferas

Par. VII, 191: *ἀμοιβάδα βίβλον ἑλίσσων*
192: *ἔζεο μαστεύων.* Multo igitur magis verisimile est vocem *ἀσίγητος* referri ad agnos i. e. homines loquentes quam ad sceptrum, cui non bene congruit. Altero mandato uterque auctor de ovibus loquitur. Nam *μῆλα* et *προβάτια* sive *πρόβατα* praesertim indicant oves. Sed tertio mandato Joannes de ovibus tantum, Nonnus, ut omnibus codicibus traditum est, tam de agnis quam de ovibus; praeterea addit: *οὐρανίῃ καλαύροπι.* Verum, interjecto de morte Petri Christi vaticinio, apud Nonnum quartum legitur mandatum

Par. XXI, 116: *καὶ σοφίης πλήθοντι θεὸς πάλιν ἔννεπε Πέτρῳ·*
117: *ἄρνας ἐμοὺς* [2]) *ποίμαινε σαόφρονας ἄνθεσι βίβλων.*

„Quorum versuum", ut legimus apud Köchly, qui eos genuinos esse ducit, „nec vola nec vestigium in evangelio apparet" [3]). Eos servari non posse inter versus, qui praecedunt, eosque, qui sequuntur, manifestum est. Nam nexum verborum evangelii dissolvunt nec proxime post v. 116: *θεὸς ἔννεπε* cet. subsequi possunt verba v. 118: *καί οἱ Χριστὸς ἔλεξεν* nisi addita particula *εἶτα, ἔπειτα* sim.. Verumtamen suspicionem movet praesertim, quod his versibus Nonnus mirum in modum deflectit a terna Petri a Christo mandata missione, sed quartam addit [4]). Non tamen facio cum Marcello,

---

[1]) Cf. Dion. VIII, 229, de cycnis, 335 de nutrice dictum.

[2]) Lectionem V *ἐμάς*, quam sequitur Scheindler, non admitto.

[3]) De Evangelii Joannei Par. a Nonno facta dissertatio, p. 24.

[4]) K. Kuiper, o. l. p. 363 sq. verisimile esse ducit Nonnum his versibus Joannis evangelium ex evangelio Petri dilatasse et interpretatum esse, ita ut terna Petri missio praedicatione ejus evangelica explicaretur, praesertim his verbis: *ἄνθεσι βίβλων*: „Immers op den evangelistischen arbeid van Petrus vestigt hij door eene in het oog vallende uitbreiding cap. XXI de aandacht. Na het in overeenstemming met het Johannes-evangelie driemaal in gewijzigden vorm herhaalde „hoed mijne schapen" (v. 89, 98, 108) voegt hij daar in: (v. 116) *καὶ σοφίης — ἄνθεσι βίβλων.* Ik acht mijzelven onbevoegd om te beslissen of eigen lectuur van het Petrus-evangelie voor den Aegyptischen dichter mag worden aangenomen, wel mag ik echter er op wijzen, dat Nonnus den persoon van Cephas bijzonder onderscheidt en ondanks de ook door hem met uitvoerigheid geschilderde verloocheningsscène zijne *ἀρραγὴς πίστις* roemt, al spreekt hij evenmin als Johannes over de *πέτρα ἐν ᾗ ἡ ἐκκλησία οἰκοδομηθήσεται.*"

qui eos delendos esse censet. Sed athetesi facta versuum 107—108, versus laudatos 116—117 eorum loco post v. 106 insero. Sic igitur lego:

105: *πάντα σὺ γινώσκεις, ὅσα μήδομαι, ὄρχαμε κόσμου,*
106: *καὶ νοέεις ἀτίνακτον ἐμῆς φιλοτῆτος ὀχῆα.*
116: *καὶ σοφίης πλήθοντι θεὸς πάλιν ἔννεπε Πέτρῳ·*
117: *ἄρνας ἐμοὺς ποίμαινε σαόφρονας ἄνθεσι βίβλων.*
109: *κουρίζων ἔτι, Πέτρε, τεὴν ἐζώννυσο μίτρην* cet..

Sic omnia clara sunt. Primum enim terna Petri missio servatur. Deinde singulis tribus mandatis diserte indicatur agnos et oves abusive dici de hominibus, ut patet vocibus: v. 89: *ἔμφρονας;* v. 98: *νοήμονα;* v. 117: *σαόφρονα;* id jam post primam Petri missionem aperte Nonnus declaravit, cum evangelium dilatavit his verbis:

Par. XXI, 94: *ἀνδρομέης ἀγελης ἁλιεὺς ἐφθέγξατο Σίμων,*

quae e synopticis sumpsit, apud quos scriptum est: *ποιήσω ὑμᾶς (γενέσθαι) ἁλεεῖς ἀνθρώπων* [1]). Tum v. 116: *καὶ σοφίης πλήθοντι* optime quadrat vocabulo *πινυτός,* de Petro v. 97 dicto; contra v. 107: *οἶον ἔχων φιλέω σε* sermo est tenuis et languidus, qui minime desideratur ad integritatem sermonis. Necnon animadvertendum est vocem *θεός* utroque versu 107 et 116 idque eodem loco legi. Quartum ejecto versu 108, ejiciuntur: *μῆλα καὶ ἄρνας,* ita ut paraphrasta jam non de agnis et ovibus, sed de ovibus tantummodo loquatur sicut evangelium. Facile denique intellegitur poëtam, quippe qui vocum varietate delectetur, v. 89 dixisse: *σέο ῥάβδῳ,* sed v. 117 pro: *οὐρανίῃ καλαύροπι* verba haec: *ἄνθεσι βίβλων* [2]). At fortasse ipse paraphrasta versus correxerit, ita ut, prius factis versibus 107 sq., postea versus 116 sq. adscripserit.

Postremo Dominus Petro praedicit

Par. XXI, 109: *κουρίζων ἔτι, Πέτρε, τεὴν ἐζώννυσο μίτρην*
110: *καὶ ποδὸς ἴχνος ἔκαμπτες, ὅπῃ μενέαινες ὁδεύειν·*
111: *ὀψὲ δὲ γηράσκων τανύσεις σέο χεῖρας ἀνάγκῃ,*
112: *καί σε περισφίγξουσιν ἀφειδέες ἀνέρες ἄλλοι*
113: *εἴς τινα χῶρον ἄγοντες, ὃν οὐ σέο θυμὸς ἀνώγει.*

---

[1]) Matth. IV, 19; Marc. I, 17.

[2]) Cf. Plato, Phaedr. 330 D: *ὥσπερ γὰρ οἱ τὰ πεινῶντα θρέμματα θαλλὸν ἤ τινα καρπὸν προσείοντες ἄγουσι, σὺ ἐμοὶ λόγους οὕτω προτείνων ἐν βιβλίοις τήν τε Ἀττικὴν φαίνει περιάξειν ἅπασαν καὶ ὅποι ἂν ἄλλοσε βούλῃ.*

His explicantur verba Joannea: *ὅτε ἦς νεώτερος, ἐζώννυες σεαυτὸν καὶ περιεπάτεις ὅπου ἤθελες· ὅταν δὲ γηράσῃς, ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου, καὶ ἄλλος ζώσει σε καὶ οἴσει ὅπου οὐ θέλεις* (sive: *ἄλλοι σε ζώσουσιν καὶ ἀπάγουσίν σε*). Verbum autem *π ε ρ ι σ φ ί γ ξ ο υ σ ι ν* explicat evangelii verbum *ζώσει*. Itaque significat Petri corpus sive lumbos zona vel funibus accingi, ut ducatur ad locum, ubi supplicium ab eo sumatur. Verbo hoc insinuari Petri corpus funibus ad crucem deligari [1]) verisimile mihi non videtur, propterea quod ordini narrationis Nonnianae contrarium est.

C.

JOANNES APOSTOLUS.

N. 20. Joannes apostolus et evangelista neque in evangelio Joanneo neque in Paraphrasi nomine unquam appellatur. Sed de ipso haec leguntur:

Par. I, 42: *καὶ θεὸς οἶκον ἔναιε σὺν ἀνδράσι, καὶ κλέος αὐτοῦ*
43: *εἴδομεν ἀνδρομέοισιν ἐν ὄμμασιν, οἷά τε τιμὴν*
44: *υἱοῦ μουνογόνοιο παρ' ὑψίστοιο τοκῆος* [2]).

128: *ἀλλ' ὅτε δὴ φάος ἄλλο παλίνδρομος ἤγαγεν ἠώς,*
129: *θεῖος ἀνὴρ ἕστηκε, δύω δέ οἱ ἄγχι μαθηταὶ*
130: *Χριστοῦ θεσπεσίης ἀδαήμονες εἰσέτι μορφῆς* [3]).

135: *καὶ ζαθέην ἀίοντες ἀληθέος ἀνδρὸς ἰωὴν*
136: *ἀπλανέες δύο φῶτες ὀπίστεροι ἦλθον ὁδῖται*
137: *Χριστοῦ νεισσομένοιο. καὶ αὐτοδίδακτον ὀπωπὴν*
138: *ἐντροπαλιζομένην διδύμους ἐπὶ φῶτας ἑλίξας*
139: *ἑσπομένων ἐρέεινε συνωρίδα δίζυγον ἀνδρῶν·*
140: *δεῦρο τί μαστεύοντες ἱκάνετε; καὶ μίαν ἄμφω*
141: *πευθομένου βασιλῆος ὁμόθροον ἴαχον αὐδήν·*
142: *ῥαββίν, ὃ καὶ καλέουσι διδάσκαλε, πῇ, πόθι ναίεις;*
143: *καὶ μίαν ἀμφοτέροισιν ἄναξ ξυνώσατο φωνήν·*
144: *δεῦτε καὶ ἀθρήσητε. καὶ ἤλυθον ἄχρι μελάθρου*
145: *καὶ μάθον, ὀππόθι ναῖεν· ὑπωρόφιοι δὲ μαθηταὶ*
146: *ἦμαρ ἐκεῖνο τέλεσσαν ἔσω Χριστοῖο μελάθρου*

---

[1]) Cf. Hist. Pol. Blätter, B. 153, H. 4—5: Von der Kunstgeschichte des Krucifixes. [2]) Cf. Jo. I, 14. [3]) Cf. Jo. I, 35.

147: ἀγχίθεοι· δεκάτη δὲ ποδήνεμος ἔτρεχεν ὥρη.
148: καί τις ἔην, ὃς ἵκανεν ἔσω θεοδέγμονος αὐλῆς,
149: Ἀνδρείας, μερόπων ἁλιεὺς μετὰ πόντιον ἄγρην,
150: ἰχθυβόλου Σίμωνος ἀδελφεός, εἷς δέ τις αὐτῶν,
151: οὓς θεὸς ἐξείνισσεν. Ἰωάνναο δὲ φωνῆς
152: ξυνῆς εἰσαΐοντι συνέμπορος ἦεν ἑταίρῳ
153: ἀγχιφανής. ἄμφω δὲ μιῇ πειθήμονι βουλῇ
154: Χριστῷ ἐφωμάρτησαν [1]).

XIII, 103: ἀνὴρ δέ τις ὃς παρὰ κόλπον
104: ἀγχιφανὴς ἀνέκειτο φιλοστόργου βασιλῆος,
105: τούτῳ Πέτρος ἔνευσε· λάλῳ δ' ἐρέεινε σιωπῇ,
106: τίς πέλεν, οὗ χάριν εἶπεν· ὁ δὲ θρασὺς ὀξέι παλμῷ
107: στήθεσιν ἀχράντοισι πεσὼν πεφιλημένος ἀνὴρ
108: δαινυμένου βασιλῆος ἐπεψιθύριζεν ἀκουῇ,
109: τίς τελέθει [2]).

XVIII 70: καί οἱ ὀπισθοκέλευθος ὁμάρτεε τηλόθι Σίμων
71: καὶ νέος ἄλλος ἑταῖρος, ὃς ἰχθυβόλου παρὰ τέχνης
72: γνωτὸς ἐὼν ἀρίδηλος ἐθήμονος ἀρχιερῆος
73: Χριστῷ σύνδρομος ἦλθεν ἔσω θεοδέγμονος αὐλῆς.
74: καὶ βραδὺς αὐτόθι Πέτρος ἐλείπετο νόσφι θυράων.
75: Χριστοῦ δ' ἄλλος ἑταῖρος ὑπωρόφιον γόνυ πάλλων
76: ἄνθορεν ἐκ μεγάροιο καὶ ἀμφιπόλῳ πυλαωρῷ
77: εἶπε καὶ ἤγαγε Πέτρον ἔσω πολυχανδέος αὐλῆς
78: χειρὸς ἔχων [3]).

XIX, 137: ὡς δὲ τεκοῦσαν
138: Χριστὸς ἴδεν θεόπαιδα καί, ὃν φιλέεσκε μαθητήν,
139: μητέρι μῦθον ἔλεξε· γύναι φιλοπάρθενε μῆτερ,
140: ἠνίδε παρθένον υἷα. καὶ ἔμπαλιν εἶπε μαθητῇ·
141: ἠνίδε παρθενική, φιλοπάρθενε, σεῖο τεκοῦσα
142: νόσφι τόκου. κείνης δὲ μετὰ δρόμον εὔποδος ὥρης
143: παρθένον εὐώδινα συνέστιον ἔσχε μαθητὴς
144: ἔνδον ἑοῦ μεγάροιο· καὶ ἄσπορος ἔσκε τεκούσης
145: υἱός, ἀνὴρ ἀλόχευτος, ἀπειρώδινος ἀνάσσης [4]).

182: ἀνὴρ δ', ὅστις ὄπωπεν, ἑῷ πιστώσατο μύθῳ

---

[1]) Cf. Jo. I, 37—40.
[2]) Cf. Jo. XIII, 23—25.
[3]) Cf. Jo. XVIII, 15 sq..
[4]) Cf. Jo. XIX, 26 sq..

183: *μαρτυρίην ἀτίνακτον· ἀριστονόοιο δὲ κείνου*
184: *ἴδμεν ὅτι ζαθέη καὶ ἐτήτυμος ἔπλετο φωνή* [1]).

XX, 13: *κατωπιόωντι δὲ Πέτρῳ*
14: *ἀγγελίην ἑτέρῳ τε συνενδιάοντι μαθητῇ,*
15: *κοίρανος ὃν φιλέεσκε, μιῇ ξυνώσατο φωνῇ*
16: *ἀμφὶ τάφου κενεοῖο. καὶ ὡς ἔχε Πέτρος ἀκούσας*
17: *ἔμπνοος οἰστρηθέντι ποδῶν διφήτορι ταρσῷ*
18: *ἄνθορεν ἐκ μεγάροιο· καὶ ὡμάρτησε μαθητὴς*
19: *ἄλλος ὁμῶς ἐπὶ σῆμα, καὶ εἰς δρόμον ἔτρεχον ἄμφω.*
20: *καὶ φθάμενος Σίμωνα ποδήνεμος ἦλθε μαθητὴς*
21: *Πέτρου σπερχομένοιο θοώτερος. ἀγχιφανὴς δὲ*
22: *ἱστάμενος παρέκυψε καὶ ἔδρακεν ἔνδοθι τύμβου*
23: *ἀντωποῖς βλεφάροισι κενήριον ὀξὺ δοκεύων*
24: *κεκλιμένας ὀθόνας χιονώδεας ὑψόθι γαίης·*
25: *οὐ μὲν ἔσω διέβαινε, καὶ εἰ ταχὺς ἦλθεν ὁδεύων* [2]).

33: *ἦλθε καὶ ὁ πρώτιστος ἰὼν ἐπὶ σῆμα μαθητὴς*
34: *καὶ βραδὺς ἔνδον ἵκανε λιθογλυφέος κενεῶνος·*
35: *καὶ λίθον εὐδίνητον ἐοικότα χάσματι τύμβου,*
36: *ἀντίτυπον στήριγμα χαραδραίου πυλεῶνος,*
37: *καὶ πλοκαμων τελαμῶνα καὶ εἵματα κείμενα γαίῃ*
38: *ἔδρακε καὶ πίστευεν, ὅτι χθονίων ἀπὸ κόλπων*
39: *οὐρανίην ἐπὶ πέζαν ὑπηνέμιος νέκυς ἔπτη.*
40: *οὐ γάρ πω δεδάασι δύω Χριστοῖο μαθηταί,*
41: *ὅττι ταχὺς μετὰ πότμον ἀνόστιμον οὖδας ἐάσας,*
42: *εἰς τρία φάεα μοῦνον ἐγέρσιμον ὕπνον ἰαύων,*
43: *νόστιμος ἐκ νεκύων ἀναβήσεται εἰς πόλον ἄστρων*
44: *ἀκλινέος θανάτοιο παλίλλυτα δεσμὰ πατήσας.*
45: *πυκνὰ δὲ θαμβήσαντες ὀπιπευτῆρες ἑταῖροι*
46: *ἀσταθέες σφετέροισιν ἐναυλίζοντο μελάθροις,*
47: *ἄψοφα καλλείψαντες ἀπενθέος ἄντυγα τύμβου* [3]).

136: *ἄλλα δὲ θαύματα πολλὰ σοφῶν προπάροιθεν ἑταίρων*
137: *Ἰησοῦς ἐτέλεσσε πολύτροπα σήματα φαίνων,*
138: *μάρτυς ἀληθείης τάπερ ἄγραφα θέσπιδι βίβλῳ,*
139: *ὃς τάδε πάντα χάραξε, θελήμονι κάλλιπε σιγῇ.*
140: *ταῦτα δὲ πάντα πέλει τετυπωμένα μάρτυρι δέλτῳ,*

---

1) Cf. Jo. XIX, 35.
2) Cf. Jo. XX, 2—5.
3) Cf. Jo. XX, 8—10.

141: *ὄφρα κε πίστιν ἔχοιτε βιοσσόον, ὅττι τοκῆος*
142: *Χριστὸς ἀειζώοιο θεοῦ γόνος ἐστὶν Ἰησοῦς·*
143: *ὔμμι δὲ πειθομένοισιν ἐπουρανίης χάριν ἀρχῆς*
144: *ζωῆς θεσπεσίης αἰώνιός ἐστιν ἀμοιβή* [1]).

XXI, 3: *ἔσω κρυφίοιο μελάθρου*
4: *Πέτρος ἔην ὁ πρόσθε βοώμενος οὔνομα Σίμων*
5: *καὶ σοφὸς Ἀνδρείας, ὁμογάστριος ὃς πέλε Πέτρου*
6: *καὶ τροχαλοὶ δύο παῖδες ἀλιτρεφέος Ζεβεδαίου* cet. [2]).

35: *καὶ διερῷ Σίμωνι, βυθοῦ διφήτορι πόντου,*
36: *κοίρανος ὃν φιλέεσκε, συνέμπορος εἶπε μαθητής·*
37: *αὐτὸς ἄναξ πέλεν οὗτος* [3]).

120: *ὀπηδεύοντα δὲ ταρσῷ,*
121: *κοίρανος ὃν φιλέεσκεν, ὀπίστερον εἶδε μαθητήν,*
122: *ὃς καὶ δαινυμένοιο θεηγενέος βασιλῆος*
123: *λοξὸς ἐπὶ στέρνοιο πεσὼν φιλοπευθέι μύθῳ*
124: *Ἰησοῦν ἐρέεινε δαήμονα· τίς πέλεν ἀνήρ,*
125: *ὅς σε θεοστυγέεσσιν Ἰουδαίοις παραδώσει;*
126: *τοῦτον ἰδὼν τότε Πέτρος, ἀνείρετο· καὶ τί τελέσσει*
127: *οὗτος ἐμὸς συνάεθλος; ἄναξ δ' ἠνίπαπε μύθῳ·*
128: *εἴ μιν, ἕως ἔλθοιμι, λιλαίομαι ἐνθάδε μίμνειν,*
129: *πρὸς σὲ τί τοῦτο πέλει; σύ μοι ἕσπεο· καὶ λόγος οὗτος*
130: *γνωτῶν ἐξ ἑτάρων κρυφίῃ κηρύσσετο φωνῇ*
131: *αὐχήεις, ὅτι κεῖνος ἀνικήτοιο μαθητὴς*
132: *οὐ ξυνοῦ θανάτου τέλος ὄψεται. οὐ μὲν Ἰησοῦς*
133: *ἔννεπεν· οὐ βιότου νοσφίσσεται, ἀλλ' ὅτι μοῦνον·*
134: *εἴ μιν δεῦρο μένειν ἔτι βούλομαι, εἰσόκεν ἔλθω,*
135: *πρὸς σὲ τί τοῦτο πέλει; τί δὲ πεύθεαι; οὗτος ὀπωπῇ*
136: *ἀθρήσας ὁμόφοιτος ἀλήμονος ἐκτὸς ἀκουῆς*
137: *ἔργων θεσπεσίων ἐπιμάρτυρός ἐστι μαθητής.*
138: *καὶ νοέων τάδε πάντα κατέγραφε θέσπιδι βίβλῳ.*
139: *ἄλλα δὲ θαύματα πολλὰ σοφῇ σφρηγίσσατο σιγῇ*
140: *μάρτυς ἐτητυμίης, τάπερ ἤνυσεν αὐτὸς Ἰησοῦς,*
141: *ὅσσα καθ' ἓν στοιχηδὸν ἀνὴρ βροτὸς αἴκε χαράξῃ,*
142: *βίβλους τοσσατίας νεοτευχέας οὐδὲ καὶ αὐτὸν*
143: *ἔλπομαι ἀγλαόμορφον ἀτέρμονα κόσμον ἀεῖραι* [4]).

---

[1]) Cf. Jo. XX, 30 sq..
[2]) Cf. Jo. XXI, 2.
[3]) Cf. Jo. XXI, 7.
[4]) Cf. Jo. XXI, 20—25.

N. 21. Plerisque locis laudatis agi de Joanne eoque apostolo et evangelista dubium non est. Etenim evangelium Joanneum scriptum est a discipulo illo, quem diligebat Jesus. Atqui hic erat Joannes apostolus. Discipuli autem, quem diligebat Jesus, mentio fit in Paraphrasi

XIX, 137: *Χριστὸς ἴδεν θεόπαιδα καί, ὃν φιλέεσκε μαθητήν.*
XX, 14: *ἑτέρῳ τε συνενδιάοντι μαθητῇ,*
15: *κοίρανος ὃν φιλέεσκε.*
XXI, 36: *κοίρανος ὃν φιλέεσκε, συνέμπορος εἶπε μαθητής.*
121: *κοίρανος ὃν φιλέεσκεν, ὀπίστερον εἶδε μαθητήν.*

Iisdem autem locis evangelista dicit: *ἰδὼν τὴν μητέρα καὶ τὸν μαθητὴν παρεστῶτα ὃν ἠγάπα;* deinde: *καὶ πρὸς τὸν ἄλλον μαθητὴν ὃν ἐφίλει ὁ Ἰησοῦς;* tum: *λέγει οὖν ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς;* postremo: *βλέπει τὸν μαθητὴν ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς* [1]). Praeterea in evangelio etiam legitur: *εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν... ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς* [2]). Id Nonnus exprimit his verbis

Par. XIII, 107: *στήθεσιν ἀχράντοισι πεσὼν πεφιλημένος ἀνήρ,*

et idem voces: *φιλοστόργου βασιλῆος* indicare videntur [3]). Quidquid est, discipulus, qui Christum de proditore interrogavit, de eodem Petrus interrogavit Dominum tam in Paraphrasi quam in evangelio.

Sed idem discipulus scripsit evangelium. Nam post pericopen, qua de morte discipuli unice a Christo dilecti agitur, apud Joannem legitur scriptum: *οὗτος ἐστιν ὁ μαθητὴς ὁ μαρτυρῶν περὶ τούτων καὶ ὁ γράψας ταῦτα* [4]), quod circumscribitur a Nonno his versibus

Par. XXI, 135: *οὗτος ὀπωπῇ*
136: *ἀθρήσας ὁμόφοιτος ἀλήμονος ἐκτὸς ἀκουῆς*
137: *ἔργων θεσπεσίων ἐπιμάρτυρός ἐστι μαθητής.*
138: *καὶ νοέων τάδε πάντα κατέγραφε θέσπιδι βίβλῳ.*

Idem, qui testis et spectator evangelium scripsit, inducitur

Par. I, 42: *καὶ κλέος αὐτοῦ*
43: *εἴδομεν ἀνδρομέοισιν ἐν ὄμμασιν,* necnon

Par. XX, 138: *μάρτυς ἀληθείης τάπερ ἄγραφα θέσπιδι βίβλῳ,*
139: *ὃς τάδε πάντα χάραξε, θελήμονι κάλλιπε σιγῇ.*

Haec evangelium narrat his verbis: *καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ;* et: *ἃ οὐκ ἔστιν γεγραμμένα ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ* [5]). Posteriori

---

1) Jo. XIX, 26; XX, 2; XXI, 7; 20.
2) Jo. XIII, 23.
3) Par. XIII, 104.
4) Jo. XXI, 24.
5) Jo. I, 14; XX, 30.

igitur loco paraphrasta clarius indicavit quam evangelium testem rerum mirabilium a Christo factarum eundem evangelii librum scripsisse. Denique, ut omittam communem famam et litterarum monumenta [1]), discipulum illum, quem diligebat Jesus, fuisse Joannem apostolum probat ipsum evangelium, probat ejus Paraphrasis. Septem [2]) enim numero discipuli in mari Tiberiadis piscantes describuntur, sc. Petrus, Thomas, Nathanael, duo filii Zebedaei i. e. Jacobus et Joannes, praeterea alii duo discipuli. In his autem erat discipulus ille unice a Christo dilectus. Sed ex iisdem Petrus, Jacobus et Joannes in intimis Christi amicis erant prae ceteris, ut patet ex evangeliis synopticis [3]). At Petrus diserte discernitur a discipulo intime dilecto [4]); Jacobum autem ante evangelium Joanneum scriptum diem obiisse inter omnes constat [5]). Ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, isque evangelium scripsit, est Joannes apostolus. Quod attinet ad testimonium illius discipuli, qui Christi corpus lancea vulnerari vidit [6]), apud Nonnum manifestum non est illum discipulum fuisse Joannem. Cum enim in evangelio unus solummodo discipulus adfuisse Christo in crucem subacto narratur, sc. Joannes, in Paraphrasi plures adfuisse dicuntur his verbis:

Par. XIX 134: *ἐγγύθι δὲ σταυροῖο συνήλυδες ἦσαν ἑταῖροι,*

ita ut dijudicari nequeat, quis testis Christi vulnerati fuerit. Neque certum est testem illum eundem esse, apud Nonnum dico, qui haec scripsit, cum Nonnus diserte eum inducat loquentem, non autem scribentem Par. XIX, 182: *ἑῷ πιστώσατο μύθῳ;* 183: *μαρτυρίην ἀτίνακτον.* Denique, duos Baptistae discipulos, qui Christum secuti sunt, fuisse Andream et Joannem verisimile est [7]). Postremo de pericope, qua agitur de discipulo, qui Petrum in summi pontificis domum induxit [8]), numero, qui sequitur, dicam.

---

[1]) Cf. M. P. G. VII, 845, Iren. adv. Haer. III, 1; M. P. G. XX, 552, Clem. Al. ap. Euseb. H. E. VI, 14; M. P. L. II, 363; 367, Tertull. c. Marc. IV, 2; 5; M. P. G. VI, 1088, Theophil. ad Autol. II, 22.

[2]) Octo discipulos enumerat paraphrasta, qui Andream inseruit:

Par. XXI, 5: *καὶ σοφὸς Ἀνδρείας, ὁμογάστριος ὃς πέλε Πέτρου.*

[3]) Cf. Matth. XVII, 1; XXVI, 37; Marc. V, 37; IX, 2; XIV, 33; Luc. VIII, 51; XX, 28.

[4]) Cf. Par. XX, 13 sqq. = Jo. XX, 2.

[5]) Cf. Act. XII, 1 sqq..

[6]) Cf. Par. XIX, 182 sqq. = Jo. XIX, 35.

[7]) Cf. Par. I, 128—154 = Jo. I, 35—40.

[8]) Cf. Par. XVIII, 70—78 = Jo. XVIII, 15 sq..

N. 22. Joannes apostolus filius fuit Zebedaei, Jacobi autem frater[1]). Mater ejus fuit Salome, Zebedaei uxor[2]). Artem piscatoriam tum pater cum filii exercebant[3]). Pauper profecto Zebedaeus non fuit, cum mercenarios haberet[4]) et uxor ejus Salome suis opibus Christi tenuitatem sublevaret[5]). Sed artem piscatoriam Joanni causam fuisse, qua pontifici notus fuerit, planum non est. Hoc tamen insinuare videtur Nonnus

Par. XVIII, 70: *καί οἱ ὀπισθοκέλευθος ὁμάρτεε τηλόθι Σίμων*
71: *καὶ νέος ἄλλος ἑταῖρος, ὃς ἰχθυβόλου παρὰ τέχνης*
72: *γνωτὸς ἐὼν ἀρίδηλος ἐθήμονος ἀρχιερῆος*
73: *Χριστῷ σύνδρομος ἦλθεν ἔσω θεοδέγμονος αὐλῆς.*

Utrum haec cogitatione sibi depinxit an famam rerum secutus est? Si discipulum illum Joannem fuisse putavit, sicut Cyrillus Al.[6]), consentaneum est, quod juvenem eum vocavit. Est enim accepta antiquitus jure opinio Joannem ceteris apostolis juniorem fuisse[7]). Hieronymus autem affirmat Joannem ob nobilitatem generis pontifici notum fuisse[8]). Thomas tamen Aquinas: „Quia pater Joannis", inquit, „ei servus erat vel aliquis ex consanguineis suis"[9]). Huic sententiae Nonnus propius accedit. Nam non tam pontificis quam ipsius ancillae familiaritatem designat

Par. XVIII, 76: *ἄνθορεν ἐκ μεγάροιο καὶ ἀμφιπόλῳ πυλαωρῷ*
77: *εἶπε καὶ ἤγαγε Πέτρον.* Quae ancilla Petrum, Joannis amicum, per jocum et illusionem interrogare ausa est. Humili igitur loco discipulum illum, quisquis fuit, natum esse insinuat. Tamen, utcunque res se habet, piscatorem satis divitem pontifici ipsi notum fuisse mirum non est. Porro pontifex, cui discipulus ille notus erat, non Annas, sed Caiphas fuit. Quippe: *γνωτὸς ἐθήμονος ἀρχιερῆος*[10]) designat „pontificem anni illius"[11]). Sed hic fuit Caiphas.

N. 23. Natura et ingenio Joannes fervidus erat. Quamobrem Nonnus ait

---

[1]) Cf. Matth. IV, 21; cet.; Marc. I, 19; cet.; Luc. V, 10; Jo. XXI, 2.
[2]) Cf. Matth. XX, 20; XXVII, 56; Marc. XV, 41; XVI, 1.
[3]) Cf. Matth. IV, 21; Marc. I, 19; Jo. XXI, 2 sqq..
[4]) Cf. Marc. I, 20.
[5]) Cf. Matth. XXVII, 55 sq.; Marc. XV, 40 sq.; Luc. VIII, 2 sq..
[6]) Cf. M. P. G. LXXIV, 596; cf. Chrys. M. P. G. LIX, 449.
[7]) Cf. Hier. M. P. L. XXIII, 246 sq.; Paulin. Nol. M. P. L. LXI, 416.
[8]) Cf. M. P. L. XXII, 1090, Hier. Epith. Marcellæ, n. 5.
[9]) S. Thom. Aq. in Jo. XVIII, 4.
[10]) Par. XVIII, 72.
[11]) Jo. XVIII, 13.

Par. XXI, 6: *καὶ τροχαλοὶ δύο παῖδες ἀλιτρεφέος Ζεβεδαίου.*
Nam vox *τροχαλός*[1]) èt proprie èt abusive idem valet ac „velociter currens". Praeterea Christum summo amore prosequitur. Insignis igitur morum similitudo est inter ipsum et Simonem Petrum. Verum modestia antecellit Joannes, licet interdum quoque in Dominum peccet, ut cum dixit: *κύριε, θέλεις εἴπωμεν πῦρ καταβῆναι ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ καὶ ἀναλῶσαι αὐτούς*[2]); Neque frustra Christus eum et Jacobum fratrem ejus vocavit nomine Boanerges i. e. filios tonitrui[3]). Sed agit plerumque considerate et prudenter. In hac autem Joanneae indolis descriptione Nonnus sibi constans est. Sic considerate et modeste cum Andrea Dominum sequitur, Messiae cognoscendi cupidus. Quem cum cognoverunt, secuti sunt

Par. I, 153: *ἄμφω δὲ μιῇ πειθήμονι βουλῇ.*

Christi amore ductus, anxius periculo, audax Christum interrogavit de proditore, sed modestus ejus auribus insusurravit: „Quis est?"

Par. XIII, 106: *ὁ δὲ θρασὺς ὀξέι παλμῷ*[4])
107: *δαινυμένου βασιλῆος ἐπεψιθύριζεν ἀκουῇ·*
108: *τίς τελέθει;*

In pontificis aulam solus Christum sequitur, Petri socii tamen haud immemor. Nam Par. XVIII, 76 sqq.: *ἄνθορεν ἐκ μεγάροιο* cet.. Christi morientis matrem hospitaliter tecto recipit, summo Christi amori fervide respondens[5]). Primus praeterea, cum esset in navi, prudens Dominum agnoscit, sed modestus Petrum imitatus non est; temperantia utitur, donec navis appulit[6]). Sic quoque Petrum quidem praevenit, cum ibant ad monumentum

Par. XX, 20: *καὶ φθάμενος Σίμωνα ποδήνεμος ἦλθε μαθητὴς*
21: *Πέτρου σπερχομένοιο θοώτερος*, desiderio summo commotus, sed secum considerans, quid factum sit, non intravit

Par. XX, 25: *οὐ μὲν ἔσω διέβαινε, καὶ εἰ ταχὺς ἤλθεν ὁδεύων.*

Verum simul atque monumentum ingressus vestes vidit mirum in modum convolutas, primus Christum e mortuis resurrexisse credidit

Par. XX, 38: *ἔδρακε καὶ πίστευεν.*

Eadem Joannis modestia effecit, ut nunquam in evangelio nomine se appellet, sed idem ejus in Christum amor fervidus eum adduxit, ut singulare, quod cum Domino habuit commercium, revelaret.

---

[1]) In Par. †. [2]) Luc. IX, 54. [3]) Cf. Marc. III, 17.
[4]) Cf. Par. I, 116; II, 82; III, 41; cet.; Dion. I, 193; cet..
[5]) Cf. Par. XIX, 142 sq.. [6]) Cf. Par. XXI, 35 sqq..

Eadem prudens animi constantia causa fuit, quod testem locupletem et integrum se esse declarare potuit. Sic

Par. I, 42: καὶ κλέος αὐτοῦ, inquit,
43: εἴδομεν ἀνδρομέοισιν ἐν ὄμμασιν;
sic Par. XIX, 182: ἀνὴρ δ', ὅστις ὄπωπεν, ἐῷ πιστώσατο μύθῳ
183: μαρτυρίην ἀτίνακτον; sic de factis mirabilibus plurimis, quae Christus fecit, dixit

Par. XX, 138: μάρτυς ἀληθείης τάπερ ἄγραφα θέσπιδι βίβλῳ,
139: ὃς τάδε πάντα χάραξε, θελήμονι κάλλιπε σιγῇ;
necnon Par. XXI, 135: οὗτος ὀπωπῇ
136: ἀθρήσας ὁμόφοιτος ἀλήμονος ἐκτὸς ἀκουῆς
137: ἔργων θεσπεσίων ἐπιμάρτυρός ἐστι μαθητής.

Quin etiam falso de ipso rumori, quo ipsum morti obnoxium futurum non esse dicebant, obloquitur his verbis

Par. XXI, 132: οὐ μὲν Ἰησοῦς
133: ἔννεπεν· οὐ βίοτον νοσφίσσεται, ἀλλ' ὅτι μοῦνον·
134: εἴ μιν δεῦρο μένειν ἔτι βούλομαι, εἰσόκεν ἔλθω,
135: πρὸς σὲ τί τοῦτο πέλει; τί δὲ πεύθεαι;

Quo loco animadvertendum est graecos evangelii codices exhibere vocem ἐάν. Nonnus igitur, cum graecus codex ipsi inter manus fuerit, eam lectionem secutus est, plerorumque codicum latinorum lectionis falsae: „sic" nescius.

N. 24. Denique Nonnus Joannem virginem fuisse existimat

Par. XIX, 139: μητέρι μῦθον ἔλεξε· γύναι φιλοπάρθενε μῆτερ,
140: ἠνίδε παρθένον υἷα. καὶ ἔμπαλιν εἶπε μαθητῇ·
141: ἠνίδε παρθενική, φιλοπάρθενε, σεῖο τεκοῦσα
142: νόσφι τόκου.

Quin etiam Christum Joannis fidei matrem virginem commisisse, propterea quod hic virgo fuerit, aperte declarat. Haec autem de Joannis virginitate sententia legitur passim apud Patres tam graecos quam latinos. Ut quosdam testes afferam, „Ἰωάννης", inquit Chrysostomus, „ὅ τε Βαπτιστής, ὅ τε Εὐαγγελιστής, παρθένοι ἀμφότεροι τυγχάνοντες"[1]. Tertullianus autem dicit: „Joannes aliqui Christi spado";[2] Hieronymus: „Et tamen Joannes unus ex discipulis, qui minimus traditur fuisse inter Apostolos, et quem fides Christi virginem repererat, virgo permansit... solus virgo virginem agnoscit";[3] et: „Sed cur non Joannes elec-

[1] M. P. G. XLVIII, 593. [2] M. P. L. II, 952. [3] M. P. L. XXIII, 246.

tus est virgo? Aetati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens ac pene puer, progressae aetatis hominibus praeferretur";[1]) tum: „a Domino virgine, mater virgo, virgini discipulo commendatur";[2]) Paulinus Nolanus: „ex discipulis suis adolescentiorem eligit, ut convenienter assignet virgini apostolo virginem matrem". [3])

D.

Judas Iscariotes.

Iisdem, quibus Joannes locis, Nonnus loquitur de Juda Iscariota. N. 25.
Sunt autem hi:

Par. VI, 197: *ἀλλὰ τινὲς γεγάασιν ἀπειθέες ἄφρονι λύσσῃ·*
198: *ᾔδεε γάρ, τίνες ἦσαν, ὅσοι νόον εἶχον ἀλήτην*
199: *πίστιν ἀλιπλανέεσσιν ἐπιτρέψαντες ἀέλλαις,*
200: *καὶ τίς ἀνήρ μιν ἔμελλεν Ἰουδαίοις παραδώσειν*
201: *ἀργυρέης νούσοιο νόον δεδονημένος οἴστρῳ* [4]).

222: *ὑμέας οὐ φρένα πᾶσαν ἐγὼ δεδαημένος ἀνδρῶν*
223: *ἐκ πολέων ἔκρινα; καὶ εἷς ἐναρίθμιος ὑμῖν*
224: *δήιος, ἀλλοπρόσαλλος, ὁμέστιός ἐστι μαθηταῖς,*
225: *διάβολος νέος ἄλλος ἐν ὀψιγόνοισιν ἀκούων·*
226: *ἔννεπε σημαίνων ὁμοδόρπιον Ἰσκαριώτην*
227: *αἰνοτόκου Σίμωνος ἐπίκλοπον υἱὸν Ἰούδαν.*
228: *οὗτος γάρ μιν ἔμελλε πορεῖν ζωαρκέι πότμῳ*
229: *χρυσομανὴς δολίης πεφορημένον εἰς λίνον ἄγρης,*
230: *εἷς γεγαὼς ἑτάρων δυοκαίδεκα* [5]).

XII, 17: *καὶ φθονεροῖς στομάτεσσι δολοπλόκος εἶπεν Ἰούδας·*
19: *τίπτε τριηκοσίων οὐ πέρναται ἤ τινι μέτρῳ*
20: *πλείονι δηναρίων τόδε που μύρον, ὄφρα δοθείη*
21: *πτωχοῖς δευομένοισι καὶ οὐ σπροφάλιγγι κονίης;*
22: *τοῦτο δὲ κεῖνος ἔλεξε δολοπλόκος, οὐχ ὅτι φωτῶν*
23: *ἀκτεάνων ἀλέγιζεν ἀμείλιχος, ἀλλ' ὅτι μοῦνον*
24: *κλέπτης ἦν κτεάνων νικώμενος· εἶχε δὲ κίστην,*
25: *τῇ ἔνι χαλκὸς ἔκειτο· καὶ ὁππόσα βούλετο, χηλῷ*

---

[1]) M. P. L. XXIII, 247.
[2]) M. P. L. XXIII, 248.
[3]) M. P. L. LXI, 416.
[4]) Cf. Jo. VI, 64.
[5]) Cf. Jo. VI, 70 sq..

26: αὐτὸς ἀνηέρταζε φύλαξ κακός. ἀλλά ἑ μύθῳ
27: Ἰησοῦς ἀνέκοψεν, ἐῷ δ' ἀγόρευε φονῆι·
28: θηλυτέρης λίπε δῶρον ἀμεμφέος, ὄφρα φυλάξῃ
29: σώματος ἡμετέρου κειμήλιον, εἰσόκεν ἔλθῃ
30: φοίνιος ἡμετέρων κτερέων ἐπιτύμβιος ὥρη [1]).

XIII, 9: δαίμονος ἀντιπάλοιο φιλοκτεάνῳ τινὶ κέντρῳ
10: ἀργυρέην ἐπὶ λύσσαν ἀνοιστρήσαντος Ἰούδαν,
11: τολμήεις ἵνα κεῖνος Ἰουδαίοισι προδοίη
12: Χριστὸν ἑὸν θρεπτῆρα δεδεγμένος ὦνον ὀλέθρου [2]).

24: Χριστὸς ἑῶν ἑτάρων φιλίους πόδας ἤρξατο νίπτειν
25: λοίσθιον ἐκ πρώτου μετανεύμενος ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ·
26: ἀρχόμενος Σίμωνος ἕως ἰδίοιο φονῆος [3]).

47: ἀνδρομέης δὲ
48: ἄμμοροι ἀμπλακίης καθαροὶ νόον ἐστὲ καὶ αὐτοί·
49: ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντες· ἐπεὶ πάρος ᾔδεε θυμῷ,
50: τίς μιν ἀνὴρ ἤμελλεν Ἰουδαίοις παραδώσειν
51: ὤνιον ἀντιβίοισι, τίς ἔμπορος ἦεν ὀλέθρου.
52: οὗ χάριν ἀγχιθέοισιν ἄναξ ἀγόρευε μαθηταῖς·
53: ἄμμορον ἀμπλακίης καθαρὸν νόον ἴστε καὶ αὐτοί,
54: ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντες [4]).

77: οὐ περὶ πάντων
78: ἔννεπον ὑμείων ἑτέρου καθαροῖο λοετροῦ
79: δευομένων· ὁ δὲ μῦθος ἑνὸς χάριν. οἶδα καὶ αὐτός,
80: οἵους πιστοτάτους καὶ ἀμεμφέας ἄνδρας ἐδέγμην·
81: ἀλλ' ἵνα, φορμίζουσα τόπερ φάτο θέσπις ἀοιδή·
82: χρυσομανὴς ἄστοργος ἀνὴρ ἐμὸν ἄρτον ἐρέπτων
83: πτέρνην κερδαλέην ἐμέθεν καθύπερθεν ἀείρας
84: ἡμετέρῃ σύνδορπος ἐπεσκίρτησε τραπέζῃ [5]).

98: εἷς βροτὸς ὑμείων με φίλων ἑτάρων παραδώσει·
99: εἷς φίλος ἀλλοπρόσαλλος ὁμωρόφιός με δαμάσσει [6]).

109: τίς τελέθει. καὶ Χριστὸς ἐφώνεεν· ᾧ χερὶ βάψας
110: οἰνωπῇ ῥαθάμιγγι δεδευμένον ἄρτον ὀπάσσω,
111: οὗτος ἐμὲ προδίδωσι· καὶ εἰς δέπας ἔμπλεον οἴνου
112: βάψας ὕστατον ἄρτον ἀναιδέι δῶκεν Ἰούδᾳ,

[1]) Cf. Jo. XII, 4—7.
[2]) Cf. Jo. XIII, 2.
[3]) Cf. Jo. XIII, 5.
[4]) Cf. Jo. XIII, 10 sq..
[5]) Cf. Jo. XIII, 18.
[6]) Cf. Jo. XIII, 21.

113: *ἄρτον ἑοῦ κήρυκα φιλοκτεάνοιο φονῆος.*
114: *καὶ μετὰ θέσκελον ἄρτον ὑποσπείρων πόθον ὄλβου*
115: *πομπὸς ἀλιτροσύνης ὅλον ἀνέρα δύσατο δαίμων.*
116: *καί οἱ Χριστὸς ἔλεξε δαήμονι νεύματα πέμπων·*
117: *ἔρξον, ὅπερ τελέεις, ταχινώτερον.* cet. [1]).

120: *δουρατέην ὅτι χηλὸν ἀνηέρταζεν Ἰούδας* [2]).

124: *καὶ μεθύων μετὰ δόρπον ἀνὴρ φιλοκερδέι λύσσῃ*
125: *ἔνθεον ἄρτον ἔχων ἀνεχάζετο νυκτὸς ὁδίτης.*
126: *ἀλλ' ὅτε νόσφι βέβηκε δυωδεκάριθμος Ἰούδας* [3]).

XIV, 84: *Ἰησοῦν δ' ἀπάμειπτο καὶ ἔννεπεν ἄλλος Ἰούδας,*
85: *υἱὸς Ἰακώβοιο, καὶ οὐ θρασὺς Ἰσκαριώτης* [4]).

XVII, 39: *αὐτὸς ὅλους ἐφύλασσον ἀπήμονας· οὐδέ τις αὐτῶν*
41: *ὤλετο δυσσεβίης σφαλερῷ δεδονημένος οἴστρῳ,*
42: *εἰ μὴ δαιμονίου φθισήνορος υἱὸς ὀλέθρου* [5]).

XVIII, 8: *καὶ θρασὺς ᾔδεε κεῖνο φυτηκόμον ἄλσος* [6]) *Ἰούδας* [7]).

15: *ἤλυθεν ἀλλοπρόσαλλος ἐς ἠθάδα κῆπον Ἰούδας*
16: *τεύχεα καὶ λαμπτῆρας ἔχων* [8]).

31: *καὶ θρασὺς ἀντιβίοισι παρίστατο πομπὸς Ἰούδας,*
32: *ὅς μιν ἀφαυροτάτοιο μινυνθαδίου χάριν ὄλβου*
33: *υἷα θεοῦ παρέδωκεν ἀτέρμονος ἐλπίδα κόσμου,*
34: *υἷα θεοῦ παρέδωκε* [9]).

Quamquam evangelista semel tantum de Judae Iscariotae avaritia N. 26.
loquitur, cum dicit: *εἶπεν δὲ τοῦτο, οὐχ ὅτι περὶ τῶν πτωχῶν ἔμελεν αὐτῷ, ἀλλ' ὅτι κλέπτης ἦν καὶ τὸ γλωσσόκομον ἔχων τὰ βαλλόμενα ἐβάσταζεν,* [10]) Nonnus identidem in Juda cupiditatem pecuniae atque aviditatem vituperat. Haec omnia per se satis clara atque perspicua sunt, si excipias verba: *ἀργυρέης νούσοιο* [11]) et: *ἀργυρέην ἐπὶ*

[1]) Cf. Jo. XIII, 26 sq.. [2]) Cf. Jo. XIII, 29. [3]) Cf. Jo. XIII, 30 sq.. [4]) Cf. Jo. XIV, 22. [5]) Cf. Jo. XVII, 12.

[6]) Vulgo: *ἄλλος*. Lectionem *ἄλσος*, qua Nansius *ἄλλος* correxit, admitto. Loco enim parallelo Par. XIV, 84 sq. paraphrasta de Juda Thaddaeo loquitur, loco autem laudato Judam Iscariotam inducit. Si quis igitur hoc loco *ἄλλος* legit, Nonnum manifesto pugnantia loquentem facit. Insuper Par. XVIII, 8: *κεῖνο φυτηκόμον* desiderat nomen.

[7]) Cf. Jo. XVIII, 2. [8]) Cf. Jo. XVIII, 3. [9]) Cf. Jo. XVIII, 5. [10]) Jo. XII, 6. [11]) Par. VI, 201.

λύσσαν[1]), quae singularia sunt, sed contorto et exquisito generi dicendi Nonniano optime congruunt. Conferas, quaeso, ea, quae per jocum dicuntur a Strepsiada:

νόσος μ' ἐπέτριψεν ἱππική, δεινὴ φαγεῖν[2]).

Paraphrasta igitur aversatur et detestatur Judam, hominem maxime avarum et furacem. Vitio enim hoc sordidissimo corruptus animum vitiis omnibus dedit. Factus est ἀμείλιχος pauperibus[3]), φθονερός[4]), ἐπίκλοπος[5]), δολοπλόκος[6]), ἀλλοπρόσαλλος[7]), maxime ingratus, cum tradit Χριστὸν ἑὸν θρεπτῆρα[8]), τολμήεις[9]), θρασύς[10]), ἀναιδής[11]), Christo δήιος[12]) et ἄστοργος[13]), Christi φονεύς[15]), διάβολος[15]) νέος ἄλλος[16]). Unde ejus pater αἰνοτόκος dicitur[17]). Planum igitur est Nonnum evangelium multum dilatasse, ut Judae mores corruptos sub oculos nobis subjiceret.

N. 27. Verba Joannea: ἐκεῖνός ἐστιν ᾧ ἐγὼ βάψω τὸ ψωμίον καὶ δώσω αὐτῷ. βάψας οὖν τὸ ψωμίον λαμβάνει καὶ δίδωσιν Ἰούδᾳ Σίμωνος Ἰσκαριώτου. καὶ μετὰ τὸ ψωμίον τότε εἰσῆλθεν εἰς ἐκεῖνον ὁ σατανᾶς... λαβὼν οὖν τὸ ψωμίον ἐκεῖνος ἐξῆλθεν εὐθύς· ἦν δὲ νύξ[18]) circumscribit et explicat Nonnus ita, ut fortasse ansam praebeant errori, quod paraphrasta Judam institutioni eucharistiae adfuisse commemoret. Utitur enim his verbis: καὶ μετὰ θέσκελον ἄρτον[19]) et: ἔνθεον[20]) ἄρτον ἔχων[21]). Haec autem vocabula θέσκελος et ἔνθεος divinum quid designant. Ergo panem eucharisticum significare possunt. Verum Nonnus integrum reliquit, utrum Judas eucharistiae institutioni adfuerit necne, quin imo locis laudatis panem eucharisticum certo non designat, sed a Christo Judae panis porrectus est, verum panem dico, non panem eucharisticum.

---

[1]) Par. XIII, 10. [2]) Aristoph. Nub. 243.
[3]) Par. XII, 23 †; cf. Il. IX, 158: Ἀΐδης ἀμείλιχος.
[4]) Cf. Par. XII, 17. [5]) Par. VI, 227. [6]) Par. XII, 17; 22.
[7]) Par. VI, 224; XIII, 99; XVIII, 15; cf. Il. V, 831, ubi de Marte dicitur.
[8]) Par. XIII, 12. [9]) Par. XIII, 11. [10]) Par. XVIII, 8; 31.
[11]) Par. XIII, 112; cf. 116: δαήμονι νεύματα πέμπων.
[12]) Par. VI, 224. [13]) Par. XIII, 82. [14]) Par. XII, 27; XIII, 26; 113.
[15]) Diaboli prima syllaba producitur. Producit quoque Homerus praepositionis διά primam syllabam principio versus positam, ut Il. XI, 435: δῖα μὲν ἀσπίδος ἦλθε.
[16]) Par. VI, 225. [18]) Jo. XIII, 26 sq.; 30.
[17]) Par. VI, 227 †. [19]) Par. XIII, 114.
[20]) Stephanus recte vocem: ἔνθεν correxit in ἔνθεον.
[21]) Par. XIII, 125.

Primum enim Joannes eucharistiae institutionem non commemorat et raro tantum Nonnus evangelium Joanneum quoad res majoris momenti supplet e synopticis. Deinde certum est buccellam, de qua loquitur Joannes, non fuisse panem eucharisticum. Nam vocabulum ψωμίον [1]) buccellam, offulam qualemcunque indicat ita, ut e contextu verborum efficiatur necesse est, utrum panis ille fuerit eucharisticus necne. At panis, quem Christus Judae porrexit, intinctus erat, cum panis eucharisticus intinctus esse non dicitur apud synopticos. Praeterea manifestum est Dominum non potuisse porrigere Judae panem eucharisticum, si proditorem indicaverit, antequam eucharistiam instituit; si autem eum designaverit, postquam instituit eucharistiam, Judas quoque panem eucharisticum jam sumpserat. E verbis autem θέσκελος et ἔνθεος haud effici potest panem illum fuisse eucharisticum. Nam saepius iis vocibus utitur Nonnus subjiciens eis notionem: „divinitus datum, dictum, factum", „quoquomodo ad Deum pertinens", ut

Par. VI, 97: θέσκελον ἤσθιεν ἄρτον, ὃν ἔκλασεν ἀμβροσίῃ χείρ,

ubi dicitur de pane divinitus dato in deserto;

Par. VIII, 180: ὑμείων γενέτης πρωτόσπορος ἔνθεος Ἀβραάμ;

Par. XII, 16: νηχομένη ἐμέθυσσεν ὅλον δόμον ἔνθεος ὀδμή,

quo adhibetur de balsamo in Christi pedes effuso.

Postremo animadvertendum est v. 125 a Nonno dictum esse: ἔνθεον ἄρτον ἔχων pro: ἔνθεον ἄρτον λαβών, quod verbum Joannes adhibuit. Verbum autem λαβών 1: fere pleonastice sumitur, ut: λαβοῦσα λίτραν... ἤλειψεν; [2]) 2: „sumere cibum" cet. significat, ut: ὅτε οὖν ἔλαβεν τὸ ὄξος [3]). Maxime autem verisimile est Jo. XIII, 30: λαβὼν οὖν τὸ ψωμίον idem valere ac: „postquam buccellam comedit", quod v. 27: μετὰ τὸ ψωμίον quoque indicare videtur. Quid enim de eo pane vino intincto facere potuisset? Idem sc. panem „comedere" Nonnus significasse videtur vocabulo ἔχων; comedit sc. Judas panem. Sed propriam rationem, quare vocem λαβών mutaverit cum vocabulo ἔχων, illi non fuisse arbitror nisi forte necessitatem metricam. Nam ἔχων, licet aliquam admirationem movere possit, non tantum „secum habens" sed etiam „in se habens" significare potest. Sic γυνὴ ἔχουσα [4])

---

[1]) Vox ψωμίον in Novo Testamento scripta legitur locis tantum laudatis Joanneis.

[2]) Jo. XII, 3; cf. Matth. XIII, 31; 33; XVII, 27; Act. XVI, 3.

[3]) Jo. XIX, 30; cf. Marc. XV, 23; Act. IX, 19; I Tim. IV, 4.

[4]) Cf. Herod. V, 41: ἔχουσαν δὲ αὐτήν cet.; cf, Herod. III, 32: ἐχούσῃ ἐν γαστρί.

idem valet interdum ac: *γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα.* Hoc autem vocabulo Nonnum dicere voluisse Judam panem illum divinum sumpsisse animo anxio exquisitius quam verius mihi esse videtur.

E.

Annas et Caiphas pontifices.

N. 28. De Anna et Caipha summis pontificibus Nonnus haec habet:

Par. XI 198: *ἀνὴρ δέ τις ἦεν ἐν αὐτοῖς,*
199: *Καϊάφας, ἀθέμιστος, ἐπίκλοπος, ὃς τότε κείνου*
200: *ἀρχιερεὺς λυκάβαντος ἔην, ὀχετηγὸς ἑορτῆς.*
201: *οὗτος Ἰουδαίοισι δολόπλοκον ἴαχε φωνήν.* cet. [1]).

207: *αὐτόματος δ' οὐ τοῦτο θεοπρόπος ἔννεπεν ἀνήρ,*
208: *ἀλλὰ θυηπολίῃ μεμελημένος, οἷά τε κείνου*
209: *ἀρητὴρ λυκάβαντος ἀληθέι θέσπισε φωνῇ.* cet. [2]).

XVIII, 52: *λάτριν ἀμαιμακέτοιο διάκτορον ἀρχιερῆος* [3]).

61: *Χριστὸν ἐπισφίγξαντες ἀμεμφέα νηλέι δεσμῷ*
62: *ἑσπερίην ἀβόητον ἐποιήσαντο πορείην*
63: *Ἄννα Χριστὸν ἄγοντες ἐς οἰκίον ἀρχιερῆος.*
64: *Καϊάφα γὰρ ἔην ἑκυρὸς θρασύς, ὃς πέλε κείνου*
65: *ἀρχιερεὺς λυκάβαντος, ὃς Ἑβραίῳ ποτὲ λαῷ*
66: *ζῆλον ἔχων Χριστοῖο θεημάχον ἴαχε φωνήν·*
67: *καλὸν ὑπὲρ λαοῖο θανεῖν ἕνα, μὴ φθόνος ἕρπων*
68: *Ἑβραίων ὅλον ἔθνος ἑνὸς χάριν ἀνδρὸς ὀλέσσῃ* [4]).

72: *γνωτὸς ἐὼν ἀρίδηλος ἐθήμονος ἀρχιερῆος* [5]).

83: *συμμιγέες δ' ἵσταντο διάκτοροι ἀρχιερῆος* [6]).

91: *Ἰησοῦν δ' ἐρέεινε θυηπόλος ὀξέι μύθῳ*
92: *Ἄννας εὐρυγένειος ἐθήμονι χειρὸς ἐρωῇ*
93: *ἄπλοκον ἀμφαφόων κεχαλασμένον ὁλκὸν ὑπήνης*

---

[1]) Cf. Jo. XI, 49.
[2]) Cf. Jo. XI, 51.
[3]) Cf. Jo. XVIII, 10.
[4]) Cf. Jo. XVIII, 12—14.
[5]) Cf. Jo. XVIII, 15.
[6]) Cf. Jo. XVIII, 18, quo summus pontifex diserte non commemoratur.

94: ἀμφὶ σοφῶν ἑτάρων, οὓς κοίρανος εἶχε μαθητάς,
95: καὶ διδαχῆς ὁσίης [1]).

112: Ἄννας μὲν φονίης πεφορημένον εἰς λίνον ἄγρης
113: χεῖρας ὀπισθοτόνῳ πεπεδηότα δίζυγι δεσμῷ [2])
114: Ἰησοῦν προέηκεν ἑῷ λυσσώδεϊ γαμβρῷ,
115: ἀρχιερεὺς ἑτέρῳ πεφυλαγμένον ἀρχιερῆι [3]).

118: θαλπόμενον δ' ἐρέεινον ὀπάονες ἀρχιερῆος [4]).

123: καὶ θεράπων ἱερῆος ἀμείβετο Πέτρον ἐλέγχων [5]).

130: Καϊάφα δὲ μέλαθρα κατήγορος ἑσμὸς ἐάσας [6]).

Praeterea Nonnus necnon evangelium saepe loquuntur de pontificibus, qui ἀρχιερῆες [7]) vocantur, i. e. principes sacerdotum, quorum plures sunt. In horum numero summi quoque pontifices sunt.

In summos pontifices Annam et Caipham paraphrasta omnem N. 29.
fere culpam Christi condemnati atque crucifixi confert. Omnis ejus criminis invidia ad Judaeos pertinet, ad Judam ejusque corruptores pontifices. Quo fit, ut Annas et Caiphas moribus malis, sordidis, nequissimis praediti fingantur. Quamvis enim de Annae indole tantum dicatur eum esse θρασύν [8]), omnino in aequo eum ponit Caiphae, quocum plane consentire eum perspicuum est. At Caiphas vocatur ἀθέμιστος[9]), ἐπίκλοπος[9]), δολόπλοκος[10]), λυσσώδης)[11]. Dicuntur impudentes

Par. XI, 213: ἀπ' ἀρχεκάκοιο δὲ κείνης
214: ὥρης μῆτιν ὕφαινον ἀναιδέες ἀρχιερῆες;

Par. XII, 42: καὶ φθονεροὶ μενέαινον ἀναιδέες ἀρχιερῆες; et

Par. XIX, 84: καὶ θανάτῳ χαίροντες ἀναιδέες [12]) ἀρχιερῆες, quam-

---

[1]) Cf. Jo. XVIII, 19; versu 22 circumscriptio verborum: οὕτως ἀποκρίνῃ τῷ ἀρχιερεῖ e Paraphrasi excidit.

[2]) Cf. n. 48. [3]) Cf. Jo. XVIII, 24.

[4]) Cf. Jo. XVIII, 25. [5]) Cf. Jo. XVIII, 26. [6]) Cf. Jo. XVIII, 28.

[7]) Par. VII, 122; IX, 92; 126; 166; XI, 188; 214; 233; XII, 42; 47; XVIII, 146; 165; XIX, 26; 33; 78; 84; 110.

[8]) Par. XVIII, 64; cf. n. 80. [10]) Cf. Par. XI, 201.

[9]) Par. XI, 199. [11]) Par. XVIII, 114.

[12]) Praeterea Par. XIII, 112 de Juda Isc. dicitur; IX, 66 de Hebraeis Christum impudenter interrogantibus.

vis his locis Annas et Caiphas diserte non commemorentur. Verum

Par. XVIII, 165: ἀνέρες ἀρχιερῆες
166: αὐτοὶ ἐμοὶ παρέδωκαν ἀναυδέες, legendum est cum codicibus ἀναυδέες [1]) i. e. nullo certo crimine indicato. Nulla enim ratio cogit, ut cum Juvene legamus ἀναιδέες; immo Nonnus delectatur verbis, quibus contraria contrariis opponuntur. Sic loco laudato verbis: παρέδωκαν ἀναυδέες opponit haec: εἶπε καὶ αὐτός. Haud secus legitur

Par. IV, 130: δάκτυλον αὐτοβόητον ἀναυδέι ῥινὶ πελάσσας;
Par. XIII, 105: λάλῳ δ' ἐρέεινε σιωπῇ;
Par. XIX, 198 et 223: νεκρὸν ἀειζώοντα; XX, 51: λάλον νέκυν [2]).

Praeterea pontifices sunt ἀπειθέες [3]), δόλιοι [4]), αἰνομανεῖς [5]), ἀγήνορες [6]), ἀθέσμιοι [7]), ἄφρονες [8]). Sed praecipuum Annae, Caiphae, omnium pontificum vitium est invidia Christi. Unde Caiphas

Par. XVIII, 66: ζῆλον ἔχων Χριστοῖο θεημάχον ἴαχε φωνήν;

unde pontifices dicuntur φθονεροί [9]), ζηλομανεῖς [10]), Χριστοῦ ζῆλον ἔχοντες [11]). Hanc invidiam Pilatus quoque perspexit

Par. XVIII, 149: ὁ δὲ φθόνον ὀξὺ νοήσας
150: Χριστὸν ἀνακρίνειν ἀπεσείσατο μάρτυρι μύθῳ [12]).

Sed hujus invidiae culpam jampridem tam Caiphas quam ceteri pontifices a se amovere et in Romanos transferre conati sunt. Postquam enim pontifices dixerunt

Par. XI, 196: καὶ ἀνέρες Αὐσονιῆες
197: ἡμείων ὅλον ἔθνος ἀφαρπάξουσι μολόντες,
198: ἔθνος ὁμοῦ καὶ χῶρον, Caiphas respondit
Par. XI, 204: καλὸν ὑπὲρ λαοῖο θανεῖν ἕνα, μὴ χάριν αὐτοῦ
205: ἡμείων ὅλον ἔθνος ὀλισθήσειεν ὀλέθρῳ·
206: ἀνδρὸς ἑνὸς θνήσκοντος ὅλη πόλις εὔδιος ἔσται.

Hoc paraphrasta alio loco reddit his verbis:

---

[1]) Ἀναυδής legitur Par. IV, 130; V, 96; XVIII, 166; ἄναυδος Par. XI, 45 †.
[2]) Cf. Par. IV, 149 sqq.; Dion. XIX, 216—218.
[3]) Par. IX, 92; XI, 233.
[4]) Cf. Par. XIX, 78.
[5]) Par. IX, 113.
[6]) Par. IX, 166.
[7]) Par. XIX, 26.
[8]) Par. XI, 188.
[9]) Par. VII, 122; XII, 42; cf. XVIII, 146: καὶ φθονεροῖς στομάτεσσιν ἀνίαχον ἀρχιερῆες.
[10]) Par. IX, 126.
[11]) Par. IX, 114.
[12]) Hoc Nonnus mutuatus est e Matth. XXVII, 18: ὅτι διὰ φθόνον παρέδωκαν αὐτόν; cf. Marc. XV, 10.

Par. XVIII, 67: *καλὸν ὑπὲρ λαοῖο θανεῖν ἕνα, μὴ φθόνος ἕρπων*[1])
68: *Ἑβραίων ὅλον ἔθνος ἑνὸς χάριν ἀνδρὸς ὀλέσσῃ.*

Invidiae igitur sibi conscii malo dolo in Romanos zelum avertunt. Sed evangelista de his pontificum vitiis aperte non loquitur, excepto vocabulo *ζῆλος*, quod e Ps. LVIII, 10 sumpsit, ceterum nullo horum epithetorum usus.

Par. XVIII, 91: *Ἰησοῦν δ' ἐρέεινε θυηπόλος ὀξέι μύθῳ* N. 30.
92: *Ἄννας εὐρυγένειος*[2]) *ἐθήμονι χειρὸς ἐρωῇ*
93: *ἄπλοκον ἀμφαφόων κεχαλασμένον ὁλκὸν ὑπήνης*
94: *ἀμφὶ σοφῶν ἑτάρων, οὓς κοιρανος εἶχε μαθητάς,*
95: *καὶ διδαχῆς ὁσίης.*

His versibus depingitur Annas Christum interrogans effingiturque ut apud Ovidium Janus
„Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam"[3]).
In talibus autem descriptionibus gestuum inconsiderate et sponte actorum frequens est, ut

Par. I, 199: *θαύματι πιστὰ μέτωπα θεουδέι χειρὶ πατάξας,*
Par. IV, 130: *δάκτυλον αὐτοβόητον ἀναυδέι ῥινὶ πελάσσας,*
Par. IV, 149: *κινυμένης δὲ*
150: *χειρὸς ἀφωνήτοιο νοήμονι μάρτυρι σιγῇ*
151: *δαῖτα μινυνθαδίην ἀπεσείσατο ταῦτα βοήσας,*
Par. XVIII, 78: *καὶ δμωὶς ἐπεσβόλος ὄμματι λοξῷ*
79: *δερκομένη πυλαωρὸς ἀνίαχε γείτονι Πέτρῳ.*

Annas igitur in Paraphrasi, non autem Caiphas Christum de discipulis interrogavit. Sed evangelista scripsit: *ὁ οὖν ἀρχιερεὺς ἠρώτησεν τὸν Ἰησοῦν*[4]), re non dijudicata. Nonnus igitur stat cum Joanne Chrysostomo[5]) contra Cyrillum Alexandrinum[6]), qui Jesum a Caipha de doctrina ipsius interrogatum esse autumat.

Sed utrum haec interrogatio facta sit in domo Annae an in Caiphae aedibus, apud Joannem manifestum non est. Legitur enim:

---

[1]) Cf. Soph. Aj. 157: *πρὸς γὰρ τὸν ἔχονθ' ὁ φθόνος ἕρπει,*
Antig. 613: *οὐδὲν ἕρπει*
θνατῶν βιότῳ παντελὲς ἐκτὸς ἄτας; cf. 585; Eur. Rhes. 518; Par. VI, 146: *αἰών*, X, 62: *χρόνος*, XVIII, 138: *εἰς φόνον ἕρπων.*

[2]) Cf. n. 87. [3]) Ovid. Fasti, I, 259; cf. Nonn. Dion. VII, 22—24.

[4]) Jo. XVIII, 19. [5]) Cf. M. P. G. LIX, 451; 455.

[6]) Cf. M. P. G. LXXIV, 609; cf. 593.

καὶ ἤγαγον πρὸς Ἄνναν πρῶτον [1]); deinde: *ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν ὁ Ἄννας δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα* [2]); tum: *Ἄγουσιν οὖν τὸν Ἰησοῦν ἀπὸ τοῦ Καϊάφα εἰς τὸ πραιτώριον* [3]). Ministros Christum duxisse in domum Caiphae certum est. Hoc efficitur e Luca: *αὐτὸν ἤγαγον καὶ εἰσήγαγον εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἀρχιερέως* [4]). In domum igitur pontificis Jesum duxerunt. Atqui hic pontifex Caiphas est, ut patet e Matthaeo: *τὸν Ἰησοῦν ἀπήγαγον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα, ὅπου οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι συνήχθησαν* [5]). Sed in Annae domum Christum esse ductum Joannes non narrat, verum sicut: „ad Caipham", ita: „ad Annam" dicit. Annas autem aut in Caiphae generi domo aut in suis aedibus adesse potuit. At Nonnus et de Annae domo et de Caiphae aedibus mentionem facit, sc.

Par. XVIII, 63: *Ἄννα Χριστὸν ἄγοντες ἐς οἰκίον ἀρχιερῆος,*
Par. XVIII, 130: *Καϊάφα δὲ μέλαθρα κατήγορος ἐσμὸς ἐάσας*
131: *εἰς δόμον αὐχήεντος ἐκώμασεν ἡγεμονῆος*
132: *Ἰησοῦν.*

Praeterea Christum missum esse ab Anna ad Caipham dicit
Par. XVIII, 114: *Ἰησοῦν προέηκεν ἑῷ λυσσώδεϊ γαμβρῷ.*
Uterque igitur in domo sua Dominum recepit.
In sua itaque domo Annas Christum interrogavit. Maxime tamen verisimile est alterius domum domui alterius medio cavaedio conjunctam esse. Sic Petrus in eodem atrio, quod et ad Annae domum et ad Caiphae aedes pertinebat, Dominum ter negavit. Sic etiam discipulus, qui Petrum in aulam induxit, notus Caiphae, in atrium Annae introiit.

F.

Pilatus praeses.

N. 31. Rerum, quae inde a Par. XVIII, 130 usque ad XIX, 198 [6]) narrantur, magna pars Pilatus praeses fuit iisque solis locis nomen ejus legitur. En praecipuos:

Par. XVIII, 130: *Καϊάφα δὲ μέλαθρα κατήγορος ἐσμὸς ἐάσας*
131: *εἰς δόμον αὐχήεντος ἐκώμασεν ἡγεμονῆος*
132: *Ἰησοῦν ἐθέλοντα φερέσβιον εἰς μόρον ἕλκων* [7]).

[1]) Jo. XVIII, 13.
[2]) Jo. XVIII, 24.
[3]) Jo. XVIII, 28.
[4]) Luc. XXII, 54.
[5]) Matth. XXVI, 57.
[6]) Cf. Jo. XVIII, 28—XIX, 38.
[7]) Cf. Jo. XVIII, 28.

140: *καὶ Πιλάτος* [1]) *ταχυεργὸς ἑῆς ἐξήλασεν αὐλῆς·*
141: *νηοπόλους δ' ἐρέεινεν ὀφειλομένῳ τινὶ θεσμῷ*
142: *μῦθον ἀπαιτίζων φονίης ἐπιμάρτυρα φωνῆς·*
143: *ποῖον ἔπος φθέγγεσθε κατήγορον ἀνέρι τούτῳ;*
144: *τίς πρόφασις θανάτοιο; τί τηλίκον ἤλιτεν ἀνήρ;*
145: *ποῖον ἔπος φθέγγεσθε κατήγορον ἀνδρὸς ὀλέθρου* [2]);

149: *ὁ δὲ φθόνον ὀξὺ νοήσας*
150: *Χριστὸν ἀνακρίνειν ἀπεσείσατο μάρτυρι μύθῳ·*
151: *ὑμεῖς τοῦτον ἕλεσθε· θεμιστοπόλοιο δὲ βίβλου*
152: *κρίνατε πατρῴοισι νόμοις καὶ ἐθήμονι ποινῇ* [3]).

156: *Πιλάτος δὲ δολοπλόκον ἑσμὸν ἐάσας*
157: *ἀγχίθυρον, παλίνορσος ἐδύσατο θέσμιον αὐλήν·*
158: *Ἰησοῦν δ' ἐκάλεσσε καὶ εἴρετο μάρτυρι μύθῳ·*
159: *αὐτὸς Ἰουδαίων βασιλεὺς πέλες* [4]);

163: *καὶ ἴαχεν ὄρχαμος ἀνήρ·*
164: *μὴ γὰρ Ἰουδαῖος καὶ ἐγὼ πέλον; ὑμέτερον δὲ*
165: *ἔθνος, ἵνα κρίνω σε, καὶ ἀνέρες ἀρχιερῆες*
166: *αὐτοὶ ἐμοὶ παρέδωκαν ἀναυδέες· εἰπὲ καὶ αὐτός,*
167: *ἔργον ποῖον ἔρεξας* [5]).

174: *καὶ Πιλάτος πάλιν εἶπεν ἀμοιβαίῃ τινὶ φωνῇ·*
175: *ἦ ῥά νυ κοίρανός ἐσσι* [6]);

180: *καὶ Πιλάτος θάμβησε καὶ ἔμπαλιν εἴρετο μύθῳ·*
181: *ἀτρεκίη τί πέλει; καὶ ἑὸν θρόνον ὀξὺς ἐάσας*
182: *δώματος ἐκτὸς ἔβαινε καὶ ἔννεπεν ἄφρονι λαῷ,*
183: *νηοπόλους δ' ἤλεγξεν· ἐγὼ πολυειδέι μύθῳ*
184: *κρίνας αἴτιον οὐδὲν ἐν ἀνέρι τῷδε δοκεύω·*
185: *οὐ πρόφασιν μίαν εὗρον ἐπήβολον. ἀρχέγονον δὲ*
186: *ὑμῖν πάτριόν ἐστιν ἐτήσιον, ὄφρα κεν ὑμῖν*
187: *ἐκ φυλακῆς καλέσας ἕνα δέσμιον ἀνέρα λύσω·*
188: *ἦ ῥα νύ μοι βούλεσθε, παλίλλυτον ὔμμιν ὀπάσσω*
189: *σφιγγόμενον δεσμοῖσιν Ἰουδαίων βασιλῆα* [7]);

XIX, 1: *Αἰνομανῆ δὲ*
2: *ὄρχαμος ἀφραδέων στομάτων ἀλαλητὸν ἀκούων*
3: *ληιστὴν ἀνίμαστον, ἀδέσμιον ὦπασε λαῷ*

[1]) Cf. n. 56.
[2]) Cf. Jo. XVIII, 29.
[3]) Cf. Jo. XVIII, 31.
[4]) Cf. Jo. XVIII, 33.
[5]) Cf. Jo. XVIII, 35.
[6]) Cf. Jo. XVIII, 37.
[7]) Cf. Jo. XVIII, 38 sq..

4: *καὶ ῥοπάλοις ἀχάρακτον· ἀμοιβαίῃσι δὲ ῥιπαῖς*
5: *ῥιγεδανῇ Χριστοῖο δέμας φοίνιξεν ἱμάσθλῃ* [1]).

16: *καὶ Πιλάτος ταχύμητις ἀνέδραμε δώματος ἔξω*
17: *ποσσὶ παλιννόστοισι καὶ ἴαχεν ἄφρονι λαῷ·*
18: *ἔκτοθεν ἀνέρα τοῦτον ἐς ὑμέας ἄρτι κομίζω,*
19: *ὄφρα δὲ γινώσκητε· νοοπλανὲς οὐδὲν ἐν αὐτῷ*
20: *εὗρον ἐγὼ πραπίδεσσιν ἀμωμήτοισι δικάζων* [2]).

24: *καὶ Πιλάτος κατέλεξε πάλιν ζηλήμονι λαῷ·*
25: *ἠνίδε ποικιλόνωτος ἀναίτιος ἵσταται ἀνήρ* [3]).

30: *καὶ Πιλάτος λαοῖσιν ἐχέφρονα ῥήξατο φωνήν·*
31: *ὑμεῖς τετραπόρῳ σφηκώσατε τοῦτον ὀλέθρῳ·*
32: *οὐ γὰρ ἐγὼ θανάτου πρόφασιν μίαν εὗρον ἐν αὐτῷ.*
33: *καὶ Πιλάτῳ φθέγξαντο μεμηνότες ἀρχιερῆες* [4]).

39: *καὶ σοφὸς ὡς κλύε τοῦτο δικασπόλος ἔτρεμεν ἀνήρ.*
40: *σπερχομένοις δὲ πόδεσσιν ἐδύσατο πανδόκον αὐλήν·*
41: *Ἰησοῦν δ' ἐρέεινε τὸ δεύτερον ἠθάδι μύθῳ·*
42: *τίς τελέθεις; πόθεν ἐσσί; κατωπιόων δ' ἐπὶ γαίῃ*
43: *κοίρανος ὄμματα πῆξε καὶ οὐ Πιλάτῳ στόμα λύσας*
44: *ἀντίδοτον μύθοισιν ἀμοιβαίην πόρε φωνήν.*
45: *καὶ Πιλάτος βαρύμηνιν ἀπερροίβδησεν ἰωήν* [5]).

60: *καὶ Πιλάτος τρομεροῖσιν ἐν οὔασι μῦθον ἀκούων* [6]).

68: *καὶ Πιλάτος θρασυεργὸς ἐπ' εὐλάιγγι θοώκῳ*
69: *Ἑβραίοις ἐβόησην* [7]).

82: *καὶ Πιλάτος λαοῖο βοὴν ἄσβεστον ἀκούων*
83: *Χριστὸν ἑκὼν ἀέκων ἀδίκῳ παρέδωκεν ὀλέθρῳ* [8]).

114: *καὶ Πιλάτος φάτο μῦθον ἀπηνέας ἄνδρας ἐλέγχων·*
115: *ἔγραφον ἀσφαλέως, τόπερ ἔγραφον* [9]).

163: *εἰς δόμον αὐχήεντος ἐπέρρεον ἡγεμονῆος* [10]).

192: *καὶ Πιλάτον μετέπειτα λαθὼν ἱκέτευεν Ἰωσήφ* [11]).

196: *οὗτος ἰὼν ἱκέτευεν ὑπωρόφιον γόνυ κάμπτων*
197: *ὄρχαμον αἰτίζων νέκυν ἔνθεον. αὐτὰρ ὁ χαίρων*
198: *νεκρὸν ἀειζώοντα θεουδέι δῶκε φορῆι* [12]).

---

[1]) Cf. Jo. XIX, 1.
[2]) Cf. Jo. XIX, 4.
[3]) Cf. Jo. XIX, 5.
[4]) Cf. Jo. XIX, 6 sq..
[5]) Cf. Jo. XIX, 8—10.
[6]) Cf. Jo. XIX, 13.
[7]) Cf. Jo. XIX, 14.
[8]) Cf. Jo. XIX, 16.
[9]) Cf. Jo. XIX, 22.
[10]) Cf. Jo. XIX, 31.
[11]) Cf. Jo. XIX, 38.
[12]) Cf. Jo. XIX, 38.

Qualem magistratum Pontius Pilatus in Judaea gesserit, evangelistarum soli Matthaeus et Lucas narrant. Legitur enim scriptum apud Matthaeum: *δήσαντες δὲ αὐτὸν ἀπήγαγον καὶ παρέδωκαν Πειλάτῳ τῷ ἡγέμονι*[1]; et apud Lucam: *ἡγεμονεύοντος*[2] *Ποντίου Πειλάτου τῆς Ἰουδαίας*[3]. Fuit igitur Pilatus praeses et procurator. Nam procuratorem eum appellat Tacitus, qui solus Romanorum Romanas res narrantium Pilati mentionem facit his verbis: „Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat"[4]. At eundem Josephus *ἡγεμόνα* appellat[5]. Praeterea idem ab Eusebio dicitur *ἐπίτροπος* his verbis: „*ἐπίτροπος*[2] *τῆς Ἰουδαίας ὑπὸ Τιβερίου καθίσταται Πιλᾶτος*"[6], quod e Josepho mutuatus est[7]. Sed *ἐπίτροπος Καίσαρος* est procurator Caesaris[8]. Quamobrem Nonnus quoque, evangeliorum synopticorum gnarus[9], Pilatum nomine: *ἡγεμονεύς* insignivit[10]. N. 32.

Ὄρχαμον etiam eum vocat ter[11], *δικασπόλον* semel[12]. Hoc posteriori vocabulo Pilati jurisdictio designatur. Unde praetorium quoque dicitur: *θέσμιος αὐλή*[13]; *ἁγνὸν ἀλεξικάκων δῶμα θεμίστων*[14]. Nam voces *θέσμιος, θέμιστες* ad leges atque judicium pertinent, ut patet Par. I, 52: *ὄττι θεμίστων*

53: *βίβλον ὅλων γενέτης διὰ Μωσέος ὤπασε λαῷ,*

VII, 189: *καὶ χορὸς αντιάχησε θεμιστοπόλων Φαρισαίων·*

Par. XVIII, 151: *ὑμεῖς τοῦτον ἕλεσθε· θεμιστοπόλοιο δὲ βίβλου*

152: *κρίνατε πατρῴοισι νόμοις καὶ ἐθήμονι κοινῇ.*

Heinsius igitur errat, cum vertit: „consueta aula" pro „judiciali aula"[13]; et vocem *θεμιστοπόλος* Par. XVIII, 151 vocabulo: „sacrificus" pro „legisperitus", quamquam ceteris locis[15] vocem recte vertit.

Pilatum porro Nonnus non sine benevolentia quadam nominat neque expressis verbis indicat eum in culpa fuisse, quamquam N. 33.

---

[1]) Matth. XXVII, 2.
[2]) h^r: *ἐπιτροπεύοντος.*
[3]) Luc. III, 1.
[4]) Tacit. Ann. XV, 44,4.
[5]) Jos. Fl. Ant. Jud. XVIII, 3, 1.
[6]) M. P. G. XX, 108, Euseb. H. E. I, 9.
[7]) Cf. Jos. Fl. B. J. II, 9, 2.
[8]) Cf. Jos. Fl. Ant. Jud. XX, 9, 1 sqq..
[9]) Cf. n. 94.
[10]) Par. XVIII, 131; XIX, 163.
[11]) Par. XVIII, 163; XIX, 2; 197; praeterea Petrus Christum alloquitur Par. XXI, 105: *ὄρχαμε κόσμου*, id quod Joannes Gazaeus tab. 18 imitatus est.
[12]) Par. XIX, 39.
[13]) Par. XVIII, 157 †.
[14]) Par. XVIII, 139; *θέμιστες* praeterea Par. I, 52.
[15]) Par. VII, 189; VIII, 17.

ipso narrationis contextu patet ejus culpa Christum periisse. Sic ipse Dominus Pilatum alloquitur

Par. XIX, 52: ὅς με λαβὼν παρέδωκεν, ἁμαρτάδα μείζονα τίσσει [1]).

Sed dicitur a paraphrasta σοφὸς δικασπόλος [2]) rumpitque vocem ἐχέφρονα [3]), propterea quod consilio et ratione Christum interrogat, quaestionem instituit, respondet iis, qui Christum accusant. Sane admirationem movet hoc vocabulum ἐχέφρων, cum Dominum crimini haud obnoxium esse Pilatus aperte declaret, eum supplicio afficere neget, verum enimvero Dominum innocentem Judaeis supplicio plectendum tradat. Ceterum, facile Pilatus animo commovetur, quo fit, ut sit ταχύμητις [4]), ταχυεργός [5]). Sic festinanter Judaeos interrogat

Par. XVIII, 143: ποῖον ἔπος φθέγγεσθε κατήγορον ἀνέρι τούτῳ;
144: τίς πρόφασις θανάτοιο; τί τηλίκον ἤλιτεν ἀνήρ;
145: ποῖον ἔπος φθέγγεσθε κατήγορον [6]) ἀνδρὸς ὀλέθρου [7]);

Quibus verbis quater idem interrogat, bis iisdem fere verbis. Praeterea sententiam fronte celare nequit, sed modo irascitur, ut

Par. XIX, 45: καὶ Πιλάτος βαρύμηνιν [8]) ἀπερροίβδησεν ἰωήν,

modo timet, ut

Par. XIX, 60: καὶ Πιλάτος τρομεροῖσιν ἐν οὔασι μῦθον ἀκούσας [9]),

stupescit,

Par. XVIII, 180: καὶ Πιλάτος θάμβησε καὶ ἔμπαλιν εἴρετο μύθῳ,

---

[1]) Cf. Jo. XIX, 11. [2]) Par. XIX, 39.

[3]) Par. XIX, 30; cf.
Dion. XVI, 226: εἰσὶ καὶ ἐν σκυλάκεσσιν ἐχέφρονες, οἷσι Κρονίων
227: ἀνδρομένην φρένα δῶκε καὶ οὐ βροτέην πόρε φωνήν.
XIX, 218: Ἥβην χρυσοπέδιλον ἐχέφρονι δείκνυε σιγῇ.

[4]) Par. XIX, 16; praeterea I, 184 dicitur de Nathanael.

[5]) Par. XVIII, 140; praeterea V, 37 et XIII, 18 de Christo, IX, 153 de Deo dicitur.

[6]) Hoc versu vocabulum κατήγορος coujungitur cum genitivo, ut solet. Sic Aesch. Sept. 438 sq.: τῶν τοι ματαίων ἀνδράσιν φρονημάτων
ἡ γλῶσσ' ἀληθὴς γίγνεται κατήγορος,
Xen. Oec. XX, 15: ἀλλ' ἡ γεωργία ἐστὶ σαφὴς ψυχῆς κατήγορος κακῆς. Ceteris, ubi occurrit, locis Par. V, 172; 174; XVIII, 130; XIX, 143, cum genitivo neque alio casu conjungitur.

[7]) Cf. Jo. XVIII, 29: τίνα κατηγορίαν φέρετε τοῦ ἀνθρώπου τούτου; Nomen ὄλεθρος est adjectivi instar, sc. „perniciosus", ut. Dem. IX, 31: ὄλεθρος Μακεδών, XVIII, 127; ὄλεθρος γραμματεύς.

[8]) Praeterea Par. VII, 88.

[9]) Praeterea: τρομεροῖσιν ἐν οὔασι legitur Par. XII, 115.

gaudet, Par. XIX, 197: αὐτὰρ ὁ χαίρων
198: νεκρὸν ἀειζώοντα θεουδέι δῶκε φορῆι,

dubitat, Par. XIX, 183: Χριστὸν ἑκὼν ἀέκων ἀδίκῳ παρέδωκεν ὀλέθρῳ.

Sed cum soleat esse elato animo — dicitur enim αὐχήεις ἡγεμονεύς [1] — interdum depulso timore θρασυεργός est [2].

G.

Ceterae minoris momenti personae.

De Malcho, pontificis servo, haec leguntur: N. 34.

Par. XVIII, 50: ἀγχιφανὴς δὲ
51: Σίμων ἄορ ἔχων θρασὺς ἔσπασεν· ἄνδρα δὲ νύξας
52: λάτριν ἀμαιμακέτοιο διάκτορον ἀρχιερῆος
53: δέξιον οὖας ἔταμνεν ἀοσσητῆρι σιδήρῳ.
54: καὶ ξίφεϊ πληγέντος ὀπάονος οὔνομα Μάλχου [3].

123: καὶ θεράπων ἱερῆος ἀμείβετο Πέτρον ἐλέγχων
124: νυκτιπόλου θεράποντος ὁμόγνιος, οὗ ποτε Σίμων
125: δεξιὸν οὖας ἔταμνε παρήορον ἄορι νύξας [4].

Primum quaeri potest, utrum servus, qui Christo alapam duxit in Annae domo [5], idem Malchus sit, cui Petrus aurem abscidit necne. De illo Joannes dicit: εἷς παρεστηκὼς τῶν ὑπηρετῶν ἔδωκεν ῥάπισμα τῷ Ἰησοῦ [6]. Ὑπηρέτης i. e. minister igitur est. Malchum autem δοῦλον vocat. Atqui Joannes δοῦλον, i. e. servum, qui caput non habet, a ministro, qui est ὑπηρέτης, re discernere mihi videtur, ut patet Jo XVIII, 18: οἱ δοῦλοι καὶ οἱ ὑπηρέται. Haud igitur verisimile est ministro illo, qui Christo alapam duxit, Malchum designari. Attamen Chrysostomus eundem esse virum contendit [7]. In Paraphrasi autem Malchus nunquam δοῦλος dicitur, sed λάτρις, διάκτορος, ὀπάων, θεράπων, et vir, qui Christo os laesit, διάκτορος et λάτρις vocatur

---

[1]) Par. XVIII, 131; XIX, 163.
[2]) Par. XIX, 68 †.
[3]) Cf. Jo. XVIII, 10.
[4]) Cf. Jo. XVIII, 26.
[5]) Cf. Par. XVIII, 105 sqq..
[6]) Jo. XVIII, 23.
[7]) Cf. M. P. G. LIX, 449.

Par. XVIII, 105: ταῦτα δὲ οἱ λαλέοντι διάκτορος ἄγριος ἀνὴρ
106: τολμηρῇ παλάμῃ ζαθέην ἐπάταξε παρειήν.
108: Ἰησοῦς δ' ἀγόρευε τανύτριχα λάτριν ἐλέγχων.

Ergo, quamvis Nonnus servos a ceteris ministris discernere videatur
Par. XVIII, 83: συμμιγέες δ' ἵσταντο διάκτοροι ἀρχιερῆος
84: θῆτες ὁμοῦ καὶ δμῶες, quo loco circumscribit
Jo. XVIII, 18: εἱστήκεισαν δὲ οἱ δοῦλοι καὶ οἱ ὑπηρέται, tamen in Paraphrasi dijudicari nequit, utrum Malchus Christo alapam duxerit an alius quis. Etenim utrumque appellat nominibus: λάτρις et διάκτορος, neque vocabula: ὀπάων et θεράπων unum tantummodo ministrorum genus aut liberum aut servum designant, sed sunt nomina communia. Promiscue enim Nonnus omnibus fere ministrorum vocabulis utitur [1]).

Quod attinet ad vocem παρήορος [2]), quae semel occurrit in
Par. XVIII, 125: δεξιὸν οὖας ἔταμνε παρήορον ἄορι νύξας,
animadvertendum est hanc proprie significare equum funalem, qui, ad currum jugo non junctus, juxta bigas currit, ut

τὼ δὲ διεστήτην, κρίκε δὲ ζυγὸν, ἡνία δέ σφι
σύγχυτ, ἐπειδὴ ἔκειτο παρήορος ἐν κονίῃσι [3]).

Hinc latius patet per translationem, ita ut significet aurem, quae extenditur juxta caput ad ejusque soliditatem non pertinet [4]). Hoc autem de Malchi aure magis plastice quam per ludibrium videtur mihi esse dictum. Nam paraphrasta, ab usitata auctorum antiquorum consuetudine haud recedens, in deliciis habet naturam rerum et ipsam veritatem illustrando imitari, ita ut res sub aspectum paene subjiciantur.

N. 35. Paraphrasis de Barabba latrone haec habet:
Par. XVIII, 190: Ἑβραῖοι δ' ἀλάλαξαν ἀπείρονα σύνθροον ἠχὼ
191: φθεγγόμενοι· μὴ τοῦτον, ὃν ἔννεπες, ἀλλὰ Βαραββᾶν —
192: ὃς πέλε ληιστὴρ θανατηφόρος —.

XIX, 1: Αἰνομανῆ δὲ
2: ὄρχαμος ἀφραδέων στομάτων ἀλαλητὸν ἀκούων
3: ληιστὴν ἀνίμαστον, ἀδέσμιον ὤπασε λαῷ
4: καὶ ῥοπάλοις ἀχάρακτον [5]).

De his locis haec sola mihi animadvertenda esse videntur. Primum paraphrasta Barabbam latronem homicidam dicit, eum autem homi-

---

[1]) Cf. n. 86. [2]) Cf. n. 93. [3]) Hom. Il. XVI, 470 sq.; cf. 466—476.
[4]) Cf. Dion. I, 318: παρήορος αὐχένι χαίτῃ.
[5]) Cf. Jo. XVIII, 40—XIX, 1.

cidam fuisse Joannes omittit. Deinde eum e vinculis esse dimissum idque non flagellatum Nonnus enarrat; de qua re Joannes tacet. Sed haec paraphrasta e synopticis sumpsit, alterum e Luca: ὅστις ἦν διὰ στάσιν τινὰ γενομένην ἐν τῇ πόλει καὶ φόνον βληθεὶς ἐν τῇ φυλακῇ [1]; alterum e Matthaeo: τότε ἀπέλυσεν αὐτοῖς τὸν Βαραββᾶν [2]. Optime enim, ut passim patet, cognovit synopticorum evangelia [3]).

Loci, qui in Paraphrasi leguntur de Tiberio Caesare, sunt: N. 36.

Par. XIX, 56: ἀπήμονα τοῦτον ἐάσας
57: Καίσαρος οὐ φίλος ἐσσὶ μονοσκήπτρου βασιλῆος.
58: πᾶς γὰρ ἑαυτὸν ἄνακτα λέγων ψευδήμονι μύθῳ
59: Καίσαρι Τιβερίῳ ψευδώνυμος οὗτος ἐρίζει [4]).

79: ἄλλον ἔχειν οὐκ ἴδμεν ἀήθεα κοίρανον ἡμεῖς,
80: κοίρανον αὐτοκέλευστον, ὃν οὐκ ἐστέψατο Ῥώμη,
81: εἰ μὴ Καίσαρα μοῦνον, ἀτέρμονα ποιμένα κόσμου [5]).

Pilatus, postquam Jesus ei respondit, decrevit Dominum indemnatum dimittere. Sed mox a Judaeis consilio deterretur. Ἐὰν τοῦτον ἀπολύσῃς, inquiunt, οὐκ εἶ φίλος τοῦ Καίσαρος· πᾶς ὁ βασιλέα ἑαυτὸν ποιῶν ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι [6]). Caesar autem est Tiberius, quod nomen scriptum legitur Luc. III, 1: Ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος. Praedicatur ejus dominatio et imperium singulare adhibitis vocabulis: μονόσκηπτρος [7]) βασιλεύς et ἀτέρμων ποιμὴν [8]) κόσμου. Quin etiam ceteros omnes reges e Caesaris principis arbitrio pendere paraphrasta designat. Nam sola Roma alicui regnum et diadema defert. Vocabulorum autem βασιλεύς, κοίρανος, ἄναξ significationes aliam ab alia non discernit Nonnus.

Mariae Cleophae Nonnus mentionem facit his verbis: N. 37.

Par. XIX, 135: οἷς ἅμα κείνη
136: σύγγονος ἦν Μαρίη καὶ ὁμώνυμος [9]),

---

[1]) Luc. XXIII, 19; cf. Marc. XV, 7; Luc. XXIII, 25.
[2]) Matth. XXVII, 26; cf. Marc. XV, 15; Luc. XXIII, 25.
[3]) Cf. n. 94.
[4]) Cf. Jo. XIX, 12.
[5]) Cf. Jo. XIX, 15.
[6]) Jo. XIX, 12.
[7]) Par. XIX, 57 †; cf. Aesch. Suppl. 374: μονοσκήπτροισι δ' ἐν θρόνοις χρέος πᾶν ἐπικραίνεις.
[8]) Par. XIX, 81; cf. Hom. Il. I, 263: ποιμὴν λαῶν; cet..
[9]) In Par. †.

ubi evangelium dicit: *καὶ ἡ ἀδελφὴ τῆς μητρὸς αὐτοῦ, Μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ* [1]). Haec igitur verba paraphrasta ita explicat, ut Maria, soror matris Jesu, sit eadem ac Maria Cleophae, ut obvie legenti evangelium patet. Sed illam Mariam fuisse Cleophae cujusdam sive uxorem sive sororem sive filiam non addit. Eam matris Domini vere sororem fuisse e Paraphrasi decerni nequit. Nam vox: *σύγγονος* [2]) cognatum tantummodo designat, non semper fratrem, sororem. Praeterea in medio relinquit Nonnus, utrum fuerit eadem ac mater Jacobi et Joseph, quam Matthaeus et Marcus sub cruce Domini adfuisse commemorant [3]).

N. 38. Maria Magdalena a Nonno commemoratur his verbis:

Par. XIX, 136: *ἦν δὲ καὶ αὐτὴ*
137: *Μαγδαλινὴ Μαρίη φιλοδάκρυος* [4]).

XX. 1: *Τῇ δὲ μιῇ φθαμένῃ μετὰ σάββατον ἠριγενείῃ*
2: *Μαγδαλινὴ Μαρίη φιλοδάκρυος ἐγγύθι τύμβου*
3: *πρώιον ἴχνος ἔκαμπτεν, ὅτε σκιοειδέι γαίῃ*
4: *νυκτιφανὴς ἀχάρακτος* [5]) *ἑώιος ἤιεν ἀστήρ.*

7: *καὶ τάφον ἔδρακε γυμνόν.*

9: *κεῖθι γυνὴ νυχίη πόδας εὔνασεν· ἀμφὶ δὲ κόλπῳ*
10: *πενθαλέον μύρον εἶχεν· ἐρημαίης δὲ χαμεύνης*
11: *ἥψατο μαστεύουσα νέκυν φύξηλιν ἀλεῖψαι.*
12: *ἀλλά μιν οὐκ ἐκίχησεν· ἐπειγομένῳ δὲ πεδίλῳ*
13: *νόστιμος εἰς δόμον ἦλθε· κατωπιόωντι δὲ Πέτρῳ*
14: *ἀγγελίην ἑτέρῳ τε συνενδιάοντι μαθητῇ,*
15: *κοίρανος ὃν φιλέεσκε, μιῇ ξυνώσατο φωνῇ*
16: *ἀμφὶ τάφου κενεοῖο* [6]).

48: *Μαγδαλινὴ δ' ἐλέλειπτο γυνὴ παρὰ σήματι μούνη,*
49: *θερμὸν ἀναβλύζουσα γοήμονος ὄμβρον ὀπωπῆς,*
50: *μυρομένη ζώοντα· δι' εὐφαέος δὲ θυρέτρου,*
51: *ὡς ἔτι δακρυχέεσκε λάλον νέκυν ἐγγὺς ἐόντα,*
52: *ἀγγελικὴν ἐνόησε συνωρίδα.*

57: *ἀμφότεροι δ' ἐρέεινον ἔσω τύμβοιο γυναῖκα·*

---

[1]) Jo. XIX, 25. [2]) Cf. n. 76.

[3]) Cf. Matth. XXVII, 56; 61; XXVIII, 1; Marc. XV, 40; 47; XVI, 1; Luc. XXIV, 10.

[4]) Cf. Jo. XIX, 25. [5]) Cf. n. 90. [6]) Cf. Jo. XX, 1 sq..

58: *τίπτε, γύναι, στενάχεις; Μαρίη δ' ἠμείβετο μύθῳ·*
59: *ὥς τινὲς ἅρπαγες ἄνδρες ἐμὸν βασιλῆα λαθόντες*
60: *ἐννύχιοι σύλησαν. ἐγὼ δ' οὐκ οἶδα νοῆσαι*
61: *ὁππόθι μιν μετέθηκαν. ὑποστρεφθεῖσα δὲ κείνη*
62: *Ἰησοῦν ἐνόησεν, ὃν ἔστενεν· ἱστάμενον δὲ*
63: *εἶδε καὶ οὐ γίνωσκεν, ὅτι ζαθέῳ παρὰ τύμβῳ*
64: *Χριστὸς ἔην. καὶ ξεῖνος ἀνὴρ ἅτε κῆπον ὁδεύων,*
65: *τίπτε, γύναι, στενάχεις; κινυρὴν ἐρέεινε γυναῖκα·*
66: *εἰπέ, τί μαστεύεις; Μαρίη δ' ἐφθέγξατο φωνὴν*
67: *ἐλπομένη κήποιο φυτηκόμον ἄνδρα νοῆσαι·*
68: *εἰ σὺ νέκυν ζοφόεντος ἐκούφισας ἔκτοθι τύμβου,*
69: *ἔννεπε, πῇ μετέθηκας· ἐγὼ δέ μιν ἔνθεν ἀείρω.*
70: *Ἰησοῦς δ' ἀπάμειπτο χέων ἀρίδηλον ἰωὴν*
71: *καὶ Μαρίην ἰάχησε. μεταστρεφθεῖσα δὲ κείνη*
72: *ῥαββουνὶ κατέλεξε. θεὸς δ' ἀνέκοψε γυναῖκα*
73: *δεξιτερὴν μέλλουσαν ἐς ἄμβροτον εἷμα πελάσσαι.*
74: *καί οἱ μῦθον ἔλεξεν· ἐμῶν μὴ ψαῦε χιτώνων* [1].

79: *καὶ Μαρίη πεπότητο καὶ ἕνδεκα μάρτυρι φωνῇ*
80: *πᾶσιν ὑπωροφίοισιν ἔπος ξύνωσε μαθηταῖς,*
81: *ὅττι μεταχθονίου γυμνούμενα γυῖα χιτῶνος*
82: *Χριστὸν ἴδε στίλβοντα θεοκμήτῳ τινὶ πέπλῳ,*
83: *καί οἱ ἔφη τάδε πάντα χέων ἀντώπιον αἴγλην* [2].

Haud ambigam, utrum Maria Magdalena eadem mulier sit ac Maria, soror Lazari [3]), aut mulier illa in civitate peccatrix, de qua Lucas agit [4]). Nam hoc Nonnus quoque in medio reliquit, ita ut ne epitheta quidem eadem Mariae Magdalenae et Mariae, sorori Lazari, attribuat, excepto solo vocabulo: *φιλοδάκρυος*. Sed hoc epitheton de utraque praedicari mirum non est, cum utrique Mariae singularis causa fuit, ut fleret, alteri scilicet frater mortuus [5]), alteri Christus Dominus supplicio affectus [6]). Itaque iisdem argumentis, quibus, qui legit evangelium, inducatur, ut statuat aut tres fuisse mulieres, peccatricem, sororem Lazari, Magdalenam, aut duas sc. sororem Lazari et Mariam Magdalenam, antea peccatricem alterutram, aut denique unam tantummodo, iisdem induci potest, qui Paraphrasim inter manus versat. Mariam Magdalenam, quae metri causa nomine gentilicio *Μαγδαλινή* vocatur pro *Μαγδαληνή*, notam

---

[1]) Cf. Jo. XX, 11—17.
[2]) Cf. Jo. XX, 18.
[3]) Cf. Jo. XI, 1—46; XII, 1—8.
[4]) Cf. Luc. VII, 36—50.
[5]) Cf. Par. XI, 103.
[6]) Cf. Par. XIX, 137; XX, 2.

fuisse iis, quorum causa Joannes evangelium scripsit, in Paraphrasi patet ex eo, quod additur pronomen: ἦν δὲ καὶ αὐτὴ Μαγδαλινή[1]), sicut in evangelio semper particula ἡ additur.

Erat autem de numero mulierum, quae Dominum sequebantur et ex ea „septem daemonia exierant" [2]). Balsamum eam attulisse ad monumentum in synopticis [3]) scriptum legit Nonnus, non autem in evangelio Joanneo. Mirifice Magdalena Christum Dominum amat. Unde eum misericordia prosecuta ejusque summo desiderio mota modo muliebri plorat et lamentatur miserabilis, dum adstat cruci, currit ad monumentum φιλοδάκρυος; unde Nonnus in ejus tristitia describenda multus est, ut patet

Par. XX, 48: Μαγδαλινὴ δ' ἐλέλειπτο γυνὴ παρὰ σήματι μούνη,
49: θερμὸν ἀναβλύζουσα γοήμονος ὄμβρον ὀπωπῆς,
50: μυρομένη ζώοντα;

Par. XX, 51: δακρυχέεσκε λάλον νέκυν;

Par. XX, 62: Ἰησοῦν ἐνόησεν, ὃν ἔστενεν;

Par. XX, 65: κινυρὴν[4]) δ' ἐρέεινε γυναῖκα.

Sed rebus mirabilibus ad monumentum factis primum conturbata ad Petrum et Joannem festinat sui non compos

Par. XX, 12: ἐπειγομένῳ δὲ πεδίλῳ
13: νόστιμος εἰς δόμον ἦλθε cet.. Tum Christo conspecto et gaudio exsultans eum vivum e sepulcro surrexisse nuntiat discipulis

Par. XX, 79: καὶ Μαρίη πεπότητο καὶ ἕνδεκα μάρτυρι φωνῇ
80: πᾶσιν ὑπωροφίοισιν ἔπος ξύνωσε μαθηταῖς.

Incomptam igitur evangelistae narrationem, ut Mariae Magdalenae indolem ejusque erga Dominum amorem explicaret, Nonnus satis multum dilatavit.

N. 39. Joseph ab Arimathaea a Nonno sic inducitur:

Par. XIX, 192: καὶ Πιλάτον μετέπειτα λαθὼν ἱκέτευεν Ἰωσήφ,
193: τάρβος Ἰουδαίων πεφυλαγμένος· ὅς ῥα καὶ αὐτὸς
194: ἀπροϊδὴς Χριστοῖο φιλήκοος ἔσκε μαθητὴς
195: ἐκ στόματος ζαθέοιο σοφὸν γάλα πιστὸν ἀμέλγων.
196: οὗτος ἰὼν ἱκέτευεν ὑπωρόφιον γόνυ κάμπτων
197: ὄρχαμον αἰτίζων νέκυν ἔνθεον. αὐτὰρ ὁ χαίρων

[1]) Par. XIX, 136 sq..
[2]) Cf. Luc. VIII, 2; Marc. XVI, 9.
[3]) Cf. Marc. XVI, 1; Luc. XXIII, 56; XXIV, 1.
[4]) Praeterea Par. XI, 98; Dion. XXXVIII, 95:
Ἡλιάδες κινυροῖσιν ἔτι στενάχουσι πετήλοις; cf. Ap. Rh. IV, 604.

198: *νεκρὸν ἀειζώοντα θεουδέι δῶκε φορῆι·*
199: *καὶ ποδὶ σιγαλέῳ νεκυοστόλος ἦλθεν Ἰωσήφ·*
200: *ἐγγύθι δὲ σταυροῖο πεπηγμένον ἄκρον ἐρύσσας*
201: *δίζυγα δεσμὸν ἔλυσεν ἀκαχμένον ὀξέι χαλκῷ*
202: *καὶ νέκυν ἑστηῶτα κατήγαγε δείελος ἀνὴρ*
203: *φόρτον ἐλαφρίζων θεοδέγμονι κείμενον ὤμῳ* [1]).

209: *ὧν ἅμα καρπῷ*
210: *λεπταλέαις ὀθόνῃσιν ἐμιτρώσαντο θανόντος*
211: *σῶμα πολυπλέκτων ἑλίκων εὐώδεϊ δεσμῷ* [2]).

219: *ἀλλὰ τάφου καθαροῖο φυτῶν ἐπικήπιος αὔρη*
220: *χῶρον ἀνερρίπιζεν, ὅπῃ ταλαεργὸς Ἰωσὴφ*
221: *Ἰησοῦν ἐκόμισσεν ἑῷ πεφορημένον ὤμῳ,*
222: *καὶ νέκυν οὐ μίμνοντα λιθώδεϊ θῆκε χαμεύνῃ,*

224: *ἀμάρτυρον ἔργον ὑφαίνων,*
225: *ὅττι παρ' Ἑβραίοισι φυλασσομένης δρόμον ὥρης*
226: *γείτονα νύκτα φέρουσα προσάββατος ἔτρεχεν ἠώς·*
227: *καὶ πάλιν εἰς δόμον ἦλθε λαθὼν ἀκίχητος Ἰωσήφ* [3]).

XX, 7: *καὶ τάφον ἔδρακε γυμνόν, ὅπῃ βαρύφορτος Ἰωσὴφ*
8: *Ἰησοῦν ὀλίγῃ ψαμαθώδεϊ θῆκε χαμεύνῃ* [4]).

Josephi civitas Arimathaea, quamquam ab omnibus evangelistis commemoratur [5]), a Nonno reticetur [6]). Ceterum evangelii Joannei vestigiis insistens, evangeliis synopticis hic usus non est. Omisit itaque Josephum fuisse decurionem nobilem [7]) et divitem [8]), virum bonum et justum, qui consiliis Judaeorum, ut Christum interficerent, non consenserat [9]). Praetermisit quoque sepulcrum, in quo Christus positus est, ipsius Josephi fuisse [10]). At verba Joannea, quibus Joseph discipulus Jesu fuisse, *κεκρυμμένος δὲ διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων* [11]), narratur, circumscribit, verumtamen in iis explicandis falsus est. Vocabula: *διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων* causam indicare, cur Joseph insciis Judaeorum principibus occulte Christi discipulus fuerit, manifestum est. Paraphrasta

---

[1]) Cf. Jo. XIX, 38.
[2]) Cf. Jo. XIX, 40.
[3]) Cf. Jo. XIX, 41 sq..
[4]) Cf. Jo. XX, 1, ubi Josephi mentio non fit.
[5]) Cf. Matth. XXVII, 57; Marc. XV, 43; Luc. XXIII, 51; Jo. XIX, 38.
[6]) Cf. n. 57.
[7]) Cf. Marc. XV, 43.
[8]) Cf. Matth. XXVII, 57.
[9]) Cf. Luc. XXIII, 50 sq..
[10]) Cf. Matth. XXVII, 60.
[11]) Jo. XIX, 38.

tamen haec eadem verba designare causam, quod Joseph clam Pilatum adierit Christi corpus petiturus, putavit. Itaque apud eum Joseph occultus quidem Christi discipulus fuit

Par. XIX, 194: ἀπροΐδης[1]) Χριστοῖο φιλήκοος[2]) ἔσκε μαθητὴς
195: ἐκ στόματος ζαθέοιο σοφὸν[3]) γάλα πιστὸν ἀμέλγων,

sed etiam Judaeos metuens clam Pilatum adit

Par XIX, 192: καὶ Πιλάτον μετέπειτα λαθὼν ἱκέτευεν Ἰωσήφ,
193: τάρβος Ἰουδαίων πεφυλαγμένος.

Id et Joannes non dicit et Marcus diserte negat, apud quem legitur: τολμήσας εἰσῆλθεν πρὸς τὸν Πειλᾶτον[4]). Ergo deposito metu fortis et manifestus Christi discipulus factus est. Nonnus tamen falsa opinione ductus identidem Josephum clam agentem inducit, sc.

Par. XIX, 192: καὶ Πιλάτον μετέπειτα λαθὼν ἱκέτευεν Ἰωσήφ,
199: καὶ ποδὶ σιγαλέῳ[5]) νεκυοστόλος ἦλθεν Ἰωσήφ,
224: ἀμάρτυρον[6]) ἔργον ὑφαίνων,
227: καὶ πάλιν εἰς δόμον ἦλθε λαθὼν ἀκίχητος[7]) Ἰωσήφ.

Postremo animadvertendum est Nonnum officium sepeliendi Christi soli Josepho tribuere, cum evangelista dicit: ἔθηκαν[8]). Attamen ante narravit Josephum cum Nicodemo Christi corpus linteis et aromatibus involvisse[9]). Propter hoc pietatis officium Joseph vocatur θεουδής[10]), ταλαεργός[11]), βαρύφορτος[12]), et cum fit vespere, dicitur δείελος[13]).

N. 40. De Nicodemo Nonnus haec habet:

Par. III, 1: Ἦν δέ τις ἱερὸν αἷμα νοοπλανέων Φαρισαίων,
2: ἀρχὸς Ἰουδαίων πολυλήιος, ἔννομος ἀνήρ·
3: οὔνομά οἱ Νικόδημος· ἀμάρτυρος οὗτος ὁδίτης
4: Χριστῷ νυκτὸς ἵκανε φυλασσομένῳ ποδὶ βαίνων·
5: ἔννυχος εἰς δόμον ἦλθεν, ὅπη φάος· ἀνδρὶ δὲ πιστῷ
6: Ἰησοῦς ἐνέπων βαπτίσματος ἔνθεον αἴγλην

[1]) Cf. n. 91.
[2]) Praeterea Par. XIII, 146, ubi de Petro, XIV, 19 ubi de Thoma Didymo dicitur.
[3]) Cf. n. 92.
[4]) Marc. XV, 43.
[5]) Praeterea Par. VIII, 192.
[6]) Cf. n. 91.
[7]) Cf. n. 91.
[8]) Jo. XIX, 42.
[9]) Cf. Par. XIX, 209 sqq..
[10]) Par. XIX, 198.
[11]) Par. XIX, 220; praeterea XII, 64.
[12]) Par. XX, 7; praeterea V, 34; XVI, 72.
[13]) Par. XIX, 202; cf. Marc. XV, 42: καὶ ἤδη ὀψίας γενομένης, ἐπεὶ ἦν παρασκευή, ὅ ἐστιν προσάββατον; praeterea Par. XIX, 161.

7: νυκτιφανῆ Νικόδημον ἑῷ φαιδρύνατο μύθῳ.
8: καί οἱ μῦθον ἔλεξε θεῷ πειθήνιος ἀνήρ·
9: ῥαββὶν ποικιλόμυθε, θεοφραδὲς ἴδμεν ὀπωπαῖς,
10: ὅττι θεοῦ πομπῆσι διδάσκαλος ἵκεο κόσμου
11: ἀνδρομέου βιότοιο βοηθόος· οὐ δύναται γὰρ
12: θνητὸς ἀνὴρ τάδε πάντα πολύτροπα θαύματα τεύχειν,
13: ὅσσα σὺ θεσπεσίῳ τελέεις παιήονι μύθῳ,
14: εἰ μή οἱ συνάεθλος ἀλεξίκακος θεὸς εἴη.
15: Ἰησοῦς δ' ἀγόρευεν ἀσημάντῳ τινὶ μύθῳ [1]).

19: καὶ κεράσας Νικόδημος ἀνήρυγε θαύματι φωνήν [2]).

25: Ἰησοῦς δ' ἀπάμειπτο διδάσκαλον ἄνδρα διδάσκων [3]).

48: ἔννεπε, καὶ Νικόδημος ἀμείβετο· ταῦτα γενέσθαι
49: πῶς δύναται; καὶ Χριστὸς ἀνήρυγε θέσκελον ὀμφήν·
50: Ἰσραὴλ σὺ μέν ἐσσι διδάσκαλος, οὐ νοέεις δέ,
51: ἀλλά σε ταῦτα λέληθεν, ἐμὴν δ' οὐκ οἶσθα μενοινήν [4]).

VII, 183: ἀφνειῇ δὲ φάλαγγι χέων νεμεσήμονα φωνὴν
184: ἀγχιφανὴς Νικόδημος ἀμείβετο πάντας ἐλέγχων.

189: καὶ χορὸς ἀντιάχησε θεμιστοπόλων Φαρισαίων
190: μεμφόμενος Νικόδημον ἀμεμφέα· μὴ σὺ καὶ αὐτὸς
191: αἷμα φέρεις Γαλιλαῖον; ἀμοιβάδα βίβλον ἑλίσσων
192: ἕζεο μαστεύων, καὶ γνώσεαι, ὅττι προφήτης
193: οὔπω ποικιλόμυθος ἐγείρεται ἐκ Γαλιλαίης [5]).

XIX, 204: ἦλθε δὲ καὶ Νικόδημος, ὃς ἤλυθε νυκτὸς ὁδίτης
205: εἰς μέγαρον Χριστοῖο φυλασσομένῳ ποδὶ βαίνων,
206: σμύρναν ἄγων θυόεσσαν, Ἐρυθραίοιο δὲ κόλπου
207: Ἰνδῴης ἀλόην δονακοτρεφὲς ἔρνος ἀρούρης,
208: λίτρας τὰς καλέουσι φατιζομένῳ τινὶ μέτρῳ
209: ἄχρι μιῆς ζαθέης ἑκατοντάδος· ὧν ἅμα καρπῷ
210: λεπταλέαις ὀθόνῃσιν ἐμιτρώσαντο θανόντος
211: σῶμα πολυπλέκτων ἑλίκων εὐώδεϊ δεσμῷ [6]).

Joannes evangelista solus idque locis laudatis de Nicodemo loquitur. Nicodemus [7]) autem erat Pharisaeus:

[1]) Cf. Jo. III, 1—3.
[2]) Cf. Jo. III, 4.
[3]) Cf. Jo. III, 5.
[4]) Cf. Jo. III, 9 sq..
[5]) Cf. Jo. VII, 50—52.
[6]) Cf. Jo. XIX, 39 sq..
[7]) Nominis graeci Nicodemi prima syllaba metri causa corripitur; nomen occurrit Dem. adv. Meid. p. 549, cet..

Par. III, 1: ἦν δέ τις ἱερὸν [1]) αἷμα νοοπλανέων [2]) Φαρισαίων.

Horum in mentis errore versantium genus a Nonno dicitur sacrum, propterea quod ab eis sacerdotes stant, non ideo quod Nicodemus sacerdos sit. Sed princeps Judaeorum erat dives et justus:

Par. III, 2: ἀρχὸς Ἰουδαίων πολυλήιος [3]), ἔννομος [4]) ἀνήρ.

Divitem eum fuisse Nonnus addidit ex eo, quod unguentum pretiosum affert [5]), justum autem ideo, quod Pharisaeis et pontificibus injustis justus contradicit [6]). Fidem habet Christo Domino, quem aggreditur his dictis:

Par. III, 9: ῥαββὶν ποικιλόμυθε [7]), θεοφραδὲς [8]) ἴδμεν ὀπωπαῖς cet..

Unde vocatur πιστός [9]), θεῷ πειθήνιος [10]). Sed nocte venit ad Dominum clam Judaeis

Par. III, 4: Χριστῷ νυκτὸς ἵκανε φυλασσομένῳ ποδὶ βαίνων,
Par. XIX, 204: ἤλυθε νυκτὸς ὁδίτης
205: εἰς μέγαρον Χριστοῖο φυλασσομένῳ ποδὶ βαίνων.

Inde attribuuntur illi epitheta haec: ἀμάρτυρος [11]), ἔννυχος [12]), νυκτιφανής [13]).

Denique in tota de Nicodemo pericope paraphrastae in deliciis fuit contraria contrariis opponere, ut

Par. III, 5: ἔννυχος εἰς δόμον ἦλθε, ὅπῃ φάος,
7: νυκτιφανῆ Νικόδημον ἑῷ φαιδρύνατο μύθῳ,
25: Ἰησοῦς δ' ἀπάμειπτο διδάσκαλον ἄνδρα διδάσκων,
VII, 190: μεμφόμενος Νικόδημον ἀμεμφέα.

---

[1]) Cf. n. 75.

[2]) Praeterea Par. XIX, 19; cf. Dion. IV, 197; IX, 44: νοοπλανέεσσι μενοιναῖς, XLV, 68, quo active sumitur:

κάτθεο καὶ νάρθηκα νοοπλανέος Διονύσου.

[3]) In Par. †.

[4]) Praeterea Par. VI, 67; VII, 86; XIX, 169.

[5]) Cf. Par. XIX, 206 sqq..

[6]) Cf. Par. VII, 183 sqq..

[7]) Praeterea Par. VII, 123, de propheta.

[8]) Praeterea Par. III, 38; VIII, 154; XII, 177; XX, 113, sed hoc loco active sumitur; id quod fortasse l.l. III, 9 quoque fit, ita ut θεοφραδές pertineat ad ῥαββίν.

[9]) Par. III, 5.

[10]) Cf. n. 82.

[11]) Par. III, 3; cf. n. 91.

[12]) Par. III, 5 †; cf. ἐννύχιος Par. XX, 60; XXI, 15.

[13]) Par. III, 7; cf. n. 83.

CAPUT II.

TRACTANTUR LOCI SELECTI, QUI HISTORIAM PASSIONIS DOMINI PAR. XVIII—XIX ILLUSTRANT.

Christus cum abiret in hortum olivarum N. 41.

Par XVIII, 1: διέστιχεν ἔμφρονι ταρσῷ
2: πέζαν ἐς ἀντιπέραιαν, ἐυπρέμνων ὅθι κέδρων
3: οἴδματι λυσσήεντι κυλίνδεται ὄμβρος ἀλήτης,
4: οἰδαίνων βαθὺ χεῦμα χαραδραίου ποταμοῖο [1]).

Verba: ἐυπρέμνων ὅθι κέδρων, quae vulgo in codicibus leguntur, A. Scheindler mutavit in haec: ἐυπρήων ὅθι Κεδρών. Sed sine justa causa versum mutavit. Primum enim in pluribus evangelii Joannei codicibus scriptum legitur τῶν κέδρων, ut in R — quin etiam in h[r3] τῶν δένδρων —; quam lectionem Nestle genuinam esse ducit. Nihil ergo obstat, quominus codex, quo Nonnus usus est, lectionem τῶν κέδρων praebuerit aut Nonnus consilio hanc lectionem alteri praetulerit. Manifestum est autem nomen τῶν Κέδρων, quod tam in evangelii quam in Septuaginta [2]) codicibus legitur, errori deberi. Sitne autem hic error librariorum an ipsorum Judaeorum graece loquentium neque Hebraicae linguae satis peritorum [3]) dijudicare non ausim, neque id ad textum Nonnianum pertinet.

Praeterea vocabulum ἐυπρέμνων [4]) ad cedros optime quadrat, quippe quibus sit „bonus vel firmus stipes". Sic de quercu quoque legitur: ἐυπρέμνῳ... δρυί [5]). Nonnus etiam, ut est oppositionum amans, voci ἐυπρέμνων opposuit in versu proximo vocabulum ἀλήτης. Hic autem genitivus: ἐυπρέμνων κέδρων pendet a verbis: ὄμβρος ἀλήτης. Parum graece forsitan usurpatus

---

[1]) Cf. Jo. XVIII, 1. [2]) Cf. II Sam. XV, 23.

[3]) Hebraice torrens est קדרון, cedrus ארז.

[4]) In Par. †. [5]) Leon. Al. 12 in Anth. Pal. VI, 221.

esse videatur; sed Nonnus exemplum prae oculis habuit in ipso evangelio, ubi scriptum est: *τοῦ χειμάρρου τῶν κέδρων* [1]). Attamen confundit structuram verborum inserendo verba: *οἴδματι λυσσήεντι κυλίνδεται,* quibus nominativus a genitivo longo intervallo separatur. Satis ample Nonnus torrentem describit sic fere: „ubi torrens[2]) vagus, cujus ripae cedris consitae sunt, aestu rabioso volvitur, augens flumen profundum torrentis fluvii". At contra lectio Scheindleriana: *εὐπρήων ὅθι Κέδρων* quaesita nec consentanea esse videtur. Vox enim poëtica *ἐυπρήων* [3]) significat „bona vel pulchra promunturia habens". Quod quomodo de torrente Cedron dici potest nisi ascite? Itaque deleta interpunctione post verbum *κυλίνδεται,* lectionem: *ἐυπρέμνων ὅθι κέδρων* restituendam esse opinor.

N. 42. De horto olivarum paraphrasta haec habet:

Par. XVIII, 5: *ἀγχιφανὴς ὅθι κῆπος ἐύχλοος, ὃν παραμείβων*
6: *κοίρανος ἔνδον ἵκανεν ἐθήμονος οἷά τε βαίνων*
7: *φυταλιὴν εὔοδμον ἀειθαλέος παραδείσου.*
8: *καὶ θρασὺς ᾔδεε κεῖνο φυτηκόμον ἄλσος Ἰούδας,*
9: *Χριστὸς ὅτι σκιόεσσαν ἐρημάδα πέζαν ὁδεύων*
10: *πολλάκι χῶρον ἐκεῖνον ἐσήλυθε· κεῖθι καὶ αὐτῶν*
11: *σύννομος ἀγρομένων αὐλίζετο λαὸς ἑταίρων.*

Joannes autem narrat: *Ταῦτα εἰπὼν Ἰησοῦς ἐξῆλθεν σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ πέραν τοῦ χειμάρρου τῶν Κέδρων, ὅπου ἦν κῆπος, εἰς ὃν εἰσῆλθεν αὐτὸς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. ᾔδει δὲ καὶ Ἰούδας ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν τὸν τόπον, ὅτι πολλάκις συνήχθη Ἰησοῦς ἐκεῖ μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ* [4]).

Loquitur itaque Joannes 1: de regione trans torrentem Cedron sita; 2: de horto, in quem Dominus intravit. At Nonnus mentionem facit 1: regionis, quae trans torrentem sita est; 2: horti; 3: loci arboribus consiti. Primum locum evangelista indicat his verbis: *πέραν τοῦ χειμάρρου τῶν Κέδρων,* paraphrasta autem: *πέζαν ἐς ἀντιπέραιαν* [5]). Vox autem *πέζα,* cujus propria vis est „pes", ejusque notio latius extenditur in omnem rem, quae cujuscunque rei est finis, ut margo, instita, ora, utitur

---

[1]) Jo. XVIII, 1; cf. Blass, Gramm. des Neutest. Gr. § 35,5.

[2]) *Ὄμβρος* i. e. imber pro torrente mire usurpatus est; occurrit vox praeterea Par. XI, 120; XX, 49 pro imbre lacrimarum; III, 162; VIII, 8 pro imbre verborum.

[3]) Cf. Paul. Sil. amb. 276. [4]) Jo. XVIII, 1 sq..

[5]) Par. XVIII, 2; cf. X, 142.

pro humo, plaga, quocunque denique loco, ubi pes poni potest, ut

Par. IV, 217: ἄστεος ἀγχιπόροιο κατήλυδα πέζαν ὁδεύων,
Par. VI, 6: καὶ δαπέδου λοφόεντος ἐρημάδα πέζαν ὁδεύων,
Par. XVIII, 9: Χριστὸς ὅτι σκιόεσσαν ἐρημάδα πέζαν ὁδεύων [1]).

Alterum locum Joannes κῆπον eodemque nomine Nonnus vocat. Hic hortus est praedium Gethsemani, quod sub monte Olivarum situm est, ut e synopticis manifestum est [2]). Describitur a Nonno hortus pulchre virescens i. e. εὔχλοος [3]), et opacam atque desertam terram sc. σκιόεσσαν ἐρημάδα πέζαν [4]) eum dicit. Hunc Dominus pervadit [5]) in ejusque extrema parte attingit tertium locum arboribus bene fragrantibus consitum semper florentis paradisi. Hoc nemus paraphrasta nuncupat φυτηκόμον ἄλσος [6]) et

φυταλιὴν εὔοδμον ἀειθαλέος παραδείσου [7]),

item χῶρον ἐκεῖνον [8]).

Praeterea hortus commemoratur

Par. XVIII, 127: εἶδον ἐγὼ δρυόεντος ὁμέστιον ἔνδοθι κῆπον.

Editio Scheindleriana, Wernickium ad Thryphiodorum, 313 secuta, pro voce δενδρόεντος, quae legitur in codicibus V Pa, aut δενδρώεντος, quam Ma P exhibent, scriptum habet vocabulum δρυόεντος. Haec autem lectio videtur mihi esse admittenda. Nam lectio: εἶδον ἐγὼ δενδρώεντος ὁμέστιον cet. metro manifesto repugnat, lectio autem: εἶδον δενδρώεντος cet., quam Juvenis habet, excutit vocabulum ἐγώ, quod omnes codices scriptum habent. Praeterea Nonnus duos spondeos tantummodo pede secundo et tertio continuat [9]). Lectio porro: εἶδον ἐγὼ δ̆ενδρόεντος, correpta syllaba prima, defendi quidem potest, sed veri dissimile est hanc correptionem a Nonno admitti. Defenditur auctoribus Homero [10]), Aeschylo [11]), Sophocle [12]),

---

[1]) Occurrit praeterea: Par. III, 71; IV, 12; 22; XII, 1; XX, 39; 55.

[2]) Cf. Matth. XXVI, 30; 36; Marc. XIV, 26; 32; Luc. XXII, 39 sq..

[3]) Par. XVIII, 5 †. [4]) Par. XVIII, 9.

[5]) Par. XVIII, 5: παραμείβων, 9: ὁδεύων.

[6]) Par. XVIII, 8; φυτηκόμος praeterea Par. XX, 67:
ἐλπομένη κήποιο φυτηκόμον ἄνδρα νοῆσαι.

[7]) Par. XVIII, 7: φυταλιήν †; metri causa prima syllaba producitur; εὔοδμον †; ἀειθαλέος †; παράδεισος praeterea Par. III, 86: ἐν εὐδένδρῳ παραδείσῳ.

[8]) Par. XVIII, 10. [9]) Cf. Ludwich, Beiträge, p. 43 sqq..

[10]) Cf. Hom. Il. II, 651: ἀνδροφόντῃ, XIV, 78: ἀμβρότῃ, XVI, 857; XXI, 363; XXIV, 6: ἀ(ν)δροτῆτα, cf. v. Leeuwen, Enchir. dict. ep. § 28.

[11]) Cf. Aesch. Eum. 934: ἀμπλακήματα. [12]) Cf. Soph. O. R. 472: ἀναμπλάκητοι.

Euripide[1]), qui quandoque corripiunt syllabam, in qua nasalis mutam cum liquida praecedit, idque metri causa. Sed talem correptionem a Nonno admitti verisimile non est, quia artis metricae legum semper fere earundem sibique similium custos diligens ac severus esse solet. Neque formam contractam *δενδροῦντος* potest admitti, propterea quod Nonnus, a formis contractis alienus, nunquam adjectivorum in *—εις*, quorum plurima habet[2]), formas contractas exhibet. Sed lectio *δρυόεντος* primum metri causa praestat lectionibus codicum eademque vox in Dionysiacis frequens est, ut

Dion. V, 60: *Τευμησσοῦ δρυόεντος ἐμαιώσαντο κολῶναι,*

idque eodem versus loco. Profecto vocabulum *δρῦς* proprie quercum designat, sed eandem vocem poëtae pro quacunque arbore adhibent, ut pro olea Euripides: *δρυὸς ἄσπετον ἔρνος*[3]). Contra Joannes totum hortum, angulum arboribus consitum ab eo non discernens, *τόπον* dicit[4]). Hunc paradisum Judas novit. Sciebat enim Dominum hunc angulum, per hortum transeuntem, saepe petere[5]).

Verum in versibus explicandis

Par. XVIII, 5: *ἀγχιφανὴς ὅθι κῆπος ἐύχλοος, ὃν παραμείβων*
6: *κοίρανος ἔνδον ἵκανεν ἐθήμονος οἷά τε βαίνων*
7: *φυταλιὴν εὔοδμον ἀειθαλέος παραδείσου,*

difficultas est, quod attinet ad structuram verborum. Nam clarum non est, quomodo verba: *ἔνδον ἵκανεν* cet. alia ab aliis pendeant. Sic autem locum explanandum puto. Hortus erat, quem pertransiens Dominus intravit in alium locum sive in extremam horti partem, quippe cum iret in locum consuetum arboribus consitum semper florentis paradisi. Itaque accusativus *φυταλιήν* pendet a verbo *βαίνων*[6]) locumque, in quem Dominus ingreditur, indicat; vox autem *ἐθήμονος* pendet e verbis: *ἀειθαλέος παραδείσου*. Excepto hoc *ἐθήμονος* vocabulo, quod de Luca sumptum est[7]), Nonnus de synopticorum rebus narratis nihil mutuatus est, solum Joannem secutus. Verba: *σὺν τοῖς μαθηταῖς* et: *καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ*, quibus evangelista discipulos Christum esse secutos indicat[8]), Nonnus omittit.

---

[1]) Cf. Eur. Alc. 242: *ἀμπλακών*.

[2]) In Paraphrasi occurrunt quindecim adjectiva in *-όεις*, ut *ἀχλυόεις* I, 11; *φλογόεις* XXI, 56; duodecim in *-ήεις*, ut *ἀελλήεις* I, 80; *ὑλήεις* VI, 61; quorum nullum unquam contrahit.

[3]) Eur. Cycl. 615.

[4]) Jo. XVIII, 2.

[5]) Cf. Par. XVIII, 8—10.

[6]) Cf. Par. XXI, 47.

[7]) Cf. Luc. XXII, 39: *κατὰ τὸ ἔθος*, cf. Par. XVIII, 15: *ἠθάδα κῆπον*.

[8]) Jo. XVIII, 1.

Discipulos autem Christum in hortum sequi solere, quod Joannes exprimit verbis: *ὅτι πολλάκις συνήχθη Ἰησοῦς ἐκεῖ μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ* [1]), paraphrasta, sicut Lucas [2]), nova sententia exprimit

Par. XVIII, 10: *κεῖθι καὶ αὐτῶν*
11: *σύννομος ἀγρομένων αὐλίζετο λαὸς ἑταίρων.*

Eodem praeterea verbo *αὐλίζεσθαι* utitur Lucas: *τὰς δὲ νύκτας ἐξερχόμενος ηὐλίζετο εἰς τὸ ὄρος τὸ καλούμενον ἐλαίων* [3]). Denique verba Joannea: *ὁ παραδιδοὺς αὐτόν* [4]) Nonnus non circumscribit.

De viris agens, qui in horto Dominum ceperunt, Nonnus in mirum errorem incidit. Habet enim haec: N. 43.

Par. XVIII, 12: *καὶ στρατὸν ἀσπιστῆρα δεδεγμένος ἀρχιερήων*
13: *καὶ πολὺν οἰστρήεντα παρ' ἀρχεκάκων Φαρισαίων*
14: *σύνδρομον ἄλλον ἔχων κορυνηφόρον ἑσμὸν ὁδίτην*
15: *ἤλυθεν ἀλλοπρόσαλλος ἐς ἠθάδα κῆπον Ἰούδας*
16: *τεύχεα καὶ λαμπτῆρας ἔχων.*

In evangelio autem legitur: *Ὁ οὖν Ἰούδας λαβὼν τὴν σπεῖραν καὶ ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ (ἐκ) τῶν Φαρισαίων ὑπηρέτας ἔρχεται ἐκεῖ μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων καὶ ὅπλων* [5]). Joannes igitur duas turbas distinguit, 1: *τὴν σπεῖραν* i. e. cohortem militum Romanorum, quibus praeest tribunus militum Romanus sc. *ὁ χιλίαρχος* [6]); 2: *ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ (ἐκ) τῶν Φαρισαίων ὑπηρέτας* i.e. ministros a pontificibus Pharisaeisque datos. Duas enim turbas, alteram a pontificibus, a Pharisaeis alteram, missas esse verisimile omnino non est, cum unius partis sint et apud Joannem saepe conjungantur [7]). Paraphrasis quoque duas armatorum manus commemorat nec tamen easdem, quas evangelium, sc. 1: *στρατὸν ἀσπιστῆρα ἀρχιερήων,* 2: *κορυνηφόρον ἑσμὸν Φαρισαίων.* Haec turba fustibus armata convenit cum altera manu evangelii, sc. cum ministris. Etenim *ὑπηρέται,* qui dicuntur apud Joannem, iidem sunt ac *κορυνηφόρος ἑσμός* apud Nonnum, iisdemque armis instructi sunt sc. fustibus. Nonnum enim synopticos comparasse vel inde apparet, quod alteram turbam *κορυνηφόρον* [8]) appellat, cum de fustibus apud solos synopticos sermo

---

[1]) Jo. XVIII, 2. [2]) Cf. Luc. XXII, 39.
[3]) Luc. XXI, 37; praeterea occurrit in N. T. solummodo Matth. XXI, 17.
[4]) Jo. XVIII, 2. [5]) Jo. XVIII, 3. [6]) Jo. XVIII, 12.
[7]) Cf. Jo. VII, 32; 45; XI, 47; 57; XVIII, 3; cf. Matth. XXI, 45; XXVII, 62.
[8]) In Par. †.

sit, ut apud Matthaeum: ὄχλος πολὺς μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων [1]). Praeterea vox ἑσμός legentem admonet de vocabulo ὄχλος, quod apud synopticos scriptum est.

Priorem manum Joannes τὴν σπεῖραν vocat. De hac autem Polybius dicit: „Σπεῖρα καλεῖται τὸ σύνταγμα τῶν πεζῶν, παρὰ Ῥωμαίοις κοόρτις" [2]). Re vera cum in Veteri [3]) tum in Novo Testamento [4]) semper de manu militum dicitur, saepius Romanorum. Hanc autem, de qua agitur, σπεῖραν militum Romanorum cohortem fuisse sub praesidis Pilati imperio evangelium clare indicat. Nam milites i. e. στρατιῶται [5]), qui apud Joannem Christo coronam spineam imposuerunt, iidem a Matthaeo ἡ σπεῖρα vocantur: Τότε οἱ στρατιῶται τοῦ ἡγεμόνος παραλαβόντες τὸν Ἰησοῦν εἰς τὸ πραιτώριον συνήγαγον ἐπ' αὐτὸν ὅλην τὴν σπεῖραν [6]). Praeterea cohors illa omnibus, ad quos historiam Christi edocendos evangelistae libros scripserunt, nota est, ut patet ex particula ἡ addita. Atqui cohors tantum una Hierosolymis est [7]) et σπεῖρα in Actis apostolorum semper Romanam cohortem significat, cui praeest tribunus militum ejusque manipulis centuriones praesunt [8]). Quodsi quis velit Nonnum in suo evangelii codice legisse: ὁ οὖν Ἰούδας λαβὼν τὴν σπεῖραν τῶν ἀρχιερέων καὶ (ἐκ) τῶν Φαρισαίων ὑπηρέτας, expuncta particula καί ante vocem ἀρχιερέων, quamvis talis lectionis ne vestigium quidem exstat, itaque cohortem illam Pilati imperio non teneri, fallitur. Manifestum est enim Judam cohortem accepisse a pontificibus, pontifices autem ab ipso Pilato.

Contra Nonnus priorem manum i. e. στρατὸν ἀσπιστῆρα [9]) non milites Romanos sed milites Judaeos intelligit, ut apparet

Par. XVIII, 58: φύλαξ δ' ἱεροῖο μελάθρου
59: χιλιάδος ζαθέης στρατιῆς πρόμος [10]), ἀλλὰ καὶ αὐτὸς
60: σὺν προμάχῳ [11]) δασπλῆτι φερεσσακέων στρατὸς ἀνδρῶν cet.,

---

1) Matth. XXVI, 47; cf. Març. XIV, 43; Luc. XXII, 52.
2) Polyb. XI, 21. 3) Cf. II Macch. V, 2; XII, 20; 22.
4) Cf. Matth. XXVII, 27; Marc. XV, 16; Jo. XVIII, 3; 12; Act. X, 1; XXI, 31; XXVII, 1.
5) Jo. XIX, 2. 6) Matth. XXVII, 27; cf. Marc. XV, 16.
7) Cf. E. Schürer, Gesch. des jüd. Volkes im Zeitalter Jesu Christi II, p. 464.
8) Cf. Act. II. II.
9) In Par. †; praeterea huic manui militum attribuuntur epitheta: σακέσπαλος, Par. XII, 27 †; σιδηροφόρος, XVIII, 29; μαχήμονες † ἀσπιδιῶται, XVIII, 36; φερεσσακής, XVIII, 60 †; ἀσπιδιῶται, XVIII, 69.
10) In Par. †. 11) In Par. †.

ubi tribunus militum, qui iis praeest, appellatur custos templi et milites ipsi sanctissimus exercitus. Sed quomodo Nonnus in hunc errorem incidere potuit? Rem sic se habere existimo. Nonnus synopticos comparavit, ut patet ex iis, quae de altera armatorum manu dicta sunt. In errorem autem incidit, quod apud Lucam legit: *συνελάλησεν τοῖς ἀρχιερεῦσιν καὶ στρατηγοῖς*[1]). Hi autem *στρατηγοί* sunt magistratus Judaei, templi custodiae praefecti, de quorum officio vide Schürer[2]). Saepe etiam unus *στρατηγός* memoratur[3]); hic est summus horum praefectorum et a summo pontifice dignitate proximus[4]). Hoc Lucae vocabulum satis bene intellexisse videtur Nonnus, sed erravit, quod hunc magistratum, qui revera custos templi est, putavit eundem esse hominem, quem Joannes *τὸν χιλίαρχον* appellat[5]). Sic factum est, ut etiam *τὴν σπεῖραν* haberet pro Levitis illis, quibus templi custodia erat commissa.

Quodsi quis dicat Nonnum *τὴν σπεῖραν* milites Romanos intellexisse eorumque tribunum custodem templi, propterea quod cohorti illi templi custodia diebus festis erat commissa, praeterea illa cohors, cum in arce Antonia, templo vicina, esset collocata, templo quoque perpetuo erat praesidio, animadvertendum mihi esse videtur in horto, cum Christus caperetur, adfuisse magistratus templi[6]). Atqui hos magistratus Judaeos Nonnus haud ignoravit, ut patet ex iis, quae dicta sunt. Verisimile igitur non est eum hos vere custodes templi cum tribuno militum confudisse. Praeterea Nonnus, ut omnem fere Christi supplicio affecti culpam in Judaeos transfert, Judaeos milites Christum capturos, omissis Romanis militibus, induxisse videtur.

Verba Joannea: *μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων*[7]) summo colore N. 44.
illustrat Nonnus

Par. XVIII, 16: *τεύχεα καὶ λαμπτῆρας*[8]) *ἔχων· καὶ ὁμόστολος ἀνὴρ*
17: *χερσὶ πολυσπερέεσσι μετάρσιον*[9]) *ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ*
18: *λύχνων*[10]) *ἐνδομύχων ἀνεμοσκεπὲς ἄγγος ἀείρων,*
19: *ἄγγος, ὅπερ δονάκεσσιν ἀμοιβαίοισι συνάπτων*
20: *πυκνὰ μεριζομένοισι γέρων κυκλώσατο τέκτων*

---

1) Luc. XXII, 4.
2) Cf. Schürer II, p. 320—322.
3) Cf. Act. IV, 1; V, 25; 26.
4) Cf. Schürer, ll.; hebraice dicitur: סגן·
5) Jo. XVIII, 12.
6) Cf. Luc. XXII, 52.
7) Jo. XVIII, 3.
8) In Par. †.
9) Cf. n. 93.
10) Praeterea: Par. V, 136; 139; XVIII, 22.

21: *ἀστερόεν μίμημα καὶ εἴκελον ὀξέι κόσμῳ·*
22: *μεσσοφανὴς ὅθι λύχνος ὁμοζυγέος διὰ κόλπου*
23: *ὀξὺ φάος πολυωπὸν ὑπὸ σκέπας ἔκτοθι πέμπων,*
24: *ἀκροφανὲς σελάγιζε πολυσχιδὲς ἀλλόμενον φῶς.*

Excepta voce *τεύχεα* [1]), quae arma significat et pro vocabulo *ὅπλα* [2]) adhibetur, his versibus Nonnus unum laternae genus ita exprimit, ut rem oculis cernere videamur. Verba Joannea *λαμπάς* et *φανός* [3]), de quo Hesychius: „*Ἀττικοί*," inquit, *λύχνον ἐκάλουν, ὃν ἡμεῖς νῦν φανόν*" [4]), utuntur auctores promiscue pro taedis, facibus, lucernis, laternis cet. [5]). Multos autem circa unam rem ambitus saepe facit Nonnus, ut Par. II, 29—38, quo circumscribuntur verba evangelii: *λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· γεμίσατε τὰς ὑδρίας ὕδατος. καὶ ἐγέμισαν αὐτὰς ἕως ἄνω* [6]); Par. IX, 1—9, quo explanatur: *Καὶ παράγων εἶδεν ἄνθρωπον τυφλὸν ἐκ γενετῆς* [7]); Par. XI, 160—180, quo illustratur: *καὶ ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς* cet. [8]). Primum autem, quamquam *ὁμόστολος ἀνήρ* numero singulari adhibetur, plures viros laternas ferre indicatur verbis: *ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ* i. e. alius post alium. Sic scriptum legitur

Par. XIX, 14: *καὶ ἤιεν ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ* [9]).

Praeterea conjungenda sunt verba: *ἤλυθεν Ἰούδας* [10]) *καὶ ὁμόστολος* cet.. Totum locum sic verto: „venit itineris socius vir, digitis multum diductis, alius post alium, sublime, ventum defendens vas attollens, in quo lucerna intus abscondita erat, vas, quod vitor senex, arundinibus intertextis et multifidis conglobaverat in astrorum imaginem et in rem similem splendido coelo; ubi, lucerna in medio apparente per rem convexam, quae cum illa conjuncta erat, lumen splendidum sub multiforatile munimentum foras emittente, alte apparens lumen per multa foramina micans splendebat." Describitur igitur lucerna in fiscella juncea posita. Haec fiscella attollitur sublimis, ne prospectum impediat; tenetur digitis multum divisis, ne manus, quae fiscellam tenet, prohibeat,

---

[1]) In Par. †.
[2]) Jo. XVIII, 3 †.
[3]) In evangelio Joanneo utraque vox †.
[4]) Hesych. s. v. *φανόν*.
[5]) Verba conjuncta: *φανοὶ καὶ λαμπάδες* occurrunt Dion. Hal. Ant. XI, 40.
[6]) Jo. II, 7.
[7]) Jo. IX, 1.
[8]) Jo. XI, 44; cf. Jo. XVIII, 6 = Par. XVIII, 34—38; Jo. XVIII, 18 = Par. XVIII, 83—90; Jo. XIX, 15 = Par. XIX, 71—81; Jo. XX, 1 = Par. XX, 1—11; Jo. XXI, 7 = Par. XXI, 35—48.
[9]) Praeterea: Par. II, 32; IV, 84; 153; 190; V, 111; VI, 11; 45; VII, 54; XIII, 25; XVI, 120.
[10]) Par. XVIII, 15.

quominus lucis radii emittantur[1]). Fiscella porro est ad venti impetum arcendum, ne lucerna extinguatur[2]). Forma ejus est rotunda, ut patet vocabulis *κυκλώσατο* et *κόλπος*. Haec enim vox, cujus propria vis est „sinus", latius extenditur ad omnem rem convexam, ut ad terram collinam

Par. III, 111: *ἀγνὸν Ἰουδαίων ὑπεδύσατο κόλπον ἀρούρης*,

praeterea Par III, 155: *ὅς δὲ δι' αἰθερίου θεοδέγμονος ἵκετο κόλπου*,

quo de coelo convexo dicitur[3]). Praeterea fiscella nexa est arundinibus multifidis, ita ut multa foramina fiant. Quamobrem quoque *σκέπας πολυωπόν*[4]) dicitur. Sic apud Homerum legitur: *δικτύῳ ἐξέρυσαν πολυωπῷ*[5]), apud Nicandrum: *ὀθόνης πολυωπέι κόλπῳ* cribrandi causa; et *πολυωπέας ὄμπας* de favis[6]). Etenim vocem *πολυωπόν* ad *σκέπας* pertinere puto, non ad *φάος*, licet ad hoc pertinere possit, ut patet e voce *πολυωπέτις* in versu

εἰ δὲ Λέοντος ἔχῃσι μένος πολυωπέτις αἴγλη
Μηνος ἠυκόμοιο[7]).

Fiscellam contexuit faber senex, sicut

Dion. XXIV, 247: *οἰσυΐνῃ μήρινθος ἐύστροφος, ἥν τινι τέχνῃ*
248: *ὁλκοῖς μηκεδανοῖσι γέρων ἐρράψατο τέκτων.*

Media in hac fiscella lucerna posita est, quae inde vocatur *ἐνδόμυχος*[8]) et *μεσσοφανής*[9]); ejus lumen apparet sublimis, quia lampas alte attollitur, et per multa foramina[10]) micans splendet. Verba: *ἀλλόμενον φῶς* Scheindler[11]) cum Tiedke mutavit in: *ἀλλόμενον πῦρ*. Sed, quamquam in Dionysiacis scriptum legitur: *ἀλλόμενον πῦρ*[12]) et apud Homerum: *αἰθόμενον πῦρ*[13]), quare loco

---

[1]) De laternae forma ac descriptione Nonniana copiose disserit K. Kuiper l.l. p. 379 sqq.. — Vis vocis *πολυσπερής* est „late vel multum satus", ut

Par. VI, 14: *εἰπέ, πόθεν πριάμεσθα πολυσπερέων χύσιν ἄρτων*,

ita ut designare possit „rarus vel creber", ut

Dion. XVII, 14: *Ἠέλιον πυρόεντα πολυσπερέων μέσον ἄστρων.*

Homerus quoque hac voce utitur homines designans, ut Il. II, 804; Od. XI, 365. Item Q. Smyrnaeus XIII, 339. In Paraphrasi praeterea occurrit IV, 79; VII, 151; VIII, 75; XVIII, 99, de quo cf. n. 47; Dion. II, 62.

[2]) *Ἀνεμοσκεπής* in Par. †; cf. Il. XVI, 224: *χλαῖνα*.

[3]) In Par. vicies septies occurrit; cf. Pind. Ol. XIII, 125:

αἰθέρος ψυχρᾶς ἀπὸ κόλπων ἐρήμων.

[4]) In Par. †.

[5]) Od. XXII, 386.

[6]) Nic. Alexiph. 323 et 450.

[7]) Maxim. Phil. *Περὶ καταρχ.*, 584.

[8]) Praeterea Par. IV, 68; VII, 148; X, 3; XI, 73; XII, 172; XX, 103; XXI, 32; cf. Dion. II, 487: *ἐνδόμυχος φλόξ*; VIII, 329.

[9]) Cf. n. 83.

[10]) *Πολυσχιδής* in Par. †.

[11]) Praef. XLIV, Corr. et add..

[12]) Dion. II, 492.

[13]) Il. XVI, 293.

laudato codicum ad unum omnium lectio contemnenda sit, equidem non video. Quod attinet ad structuram verborum v. 22: μεσσοφανὴς — v. 23: πέμπων, videntur mihi esse subjectum, cui adjungendum esset praedicatum v. 24: σελάγιζε. Sed post verbum πέμπων alterum subjectum poëtae venit in mentem, ita ut μεσσοφανὴς λύχνος cet. verbo privaretur. Exemplum habes apud Herodotum: ἁλὴς γενομένη πᾶσα ἡ Ἑλλὰς χεὶρ μεγάλη συνάγεται [1]), apud Euripidem [2]), Xenophontem [3]).

Denique hanc lampadem faber conglobavit in stellarum imaginem et in rem similem coelo splendenti

Par. XVIII, 20: γέρων κυκλώσατο τέκτων
21: ἀστερόεν μίμημα καὶ εἴκελον ὀξέι κόσμῳ.

Mirum in modum Nonnus laternam comparat cum coelo stellis distincto et ornato, propterea quod per fiscellae foramina micant lucernae radii quasi e totidem stellis emissi. Tamen paraphrastam Anaximandri placitorum memorem haec scripsisse, non est, cur existimemus. Philosophus autem haec contendit: „τὰ δὲ ἄστρα γίνεσθαι κύκλον πυρός, ἀποκριθέντα τοῦ κατὰ τὸν κόσμον πυρός, περιληφθέντα δ' ὑπὸ ἀέρος. ἐκπνοὰς δ' ὑπάρξαι πόρους τινὰς αὐλώδεις, καθ' οὓς φαίνεται τὰ ἄστρα" [4]). Verbis: εἴκελον ὀξέι κόσμῳ designatur laterna similis coelo splendenti. Vox enim κόσμος [5]) loco laudato coelum significat, ὀξύς autem de solis, stellarum radiis micantibus dicitur, ut apud Homerum: πέπτατο δ' αὐγὴ ἠελίου ὀξεῖα [6]), apud Plutarchum: Σείριος ὀξὺς ἐλλάμπων [7]). Itaque necesse non est, cum Ludwich [8]) ὀξέι corrigamus in ἤνοπι, neque cum Tiedke [9]) κόσμῳ in δίσκῳ. Nam κόσμον intelligimus non ornamentum, ut Ludwich, neque mundum universum sed coelum. Praeterea in Dionysiacis de coelo stellato eodem fere modo Nonnus loquitur

Dion. II, 188: καὶ πυρὰ πάντοθεν ἦεν, ἐπεὶ φλόγες αἴθοπες ἄστρων
189: καὶ νύχιοι λαμπτῆρες ἀκοιμήτοιο Σελήνης
190: ὡς δαΐδες σελάγιζον.

---

[1]) Hdt. VII, 157. [2]) Cf. Eur. I. T. 695 sq.; Ph. 283 sqq..
[3]) Xen. Hell. IV, 1, 24; Cyr. VI, 3, 2; cf. Kühner—Blass II, 2 p. 108 n. 4.
[4]) Hyppol. Ref. I, 6, Dox. 559, 22. [6]) Il. XVII, 371 sq..
[5]) Cf. n. 88.
[7]) Plut. Mor. p. 658 B.; cf. Emped. 65; Hesiod. Op. II, 32 (412); Pind. Ol. III, 25; Apoll. Rh. IV, 1342; 1542; Arat. Phaen. 330; 471; cf. Hor. Ep. I, 10, 17: solem acutum. [8]) Ludwich, Beitr. p. 130.
[9]) Rh. Mus. N. F. 33 B., Nonniana, p. 533 sqq..

De hoc simplicissimo laternae genere e juncis contexto scriptores antiqui mentionem non faciunt nisi Aristophanes, qui Dicaeopolim inducit dicentem:

δός μοι σπυρίδιον διακεκαυμένον λύχνῳ [1]).

Auctores saltem recentiores, de his rebus agentes, testimonia non afferunt nisi de cornu, de vesica, de lino, de materia quadam, quam nos „mica" vocamus, nisi Becker, qui locum laudatum Aristophanis affert, postquam, cornu commemorato, dixit: „In Ermangelung der Laterne musste die Stelle auch wohl ein Topf oder Korb vertreten" [2]).

In pericope Par. XVIII, 25—63 describitur, quomodo Christus N. 45.
a militibus comprehendatur, cui respondet Jo. XVIII, 4—12. Apud Joannem autem v. 4 scriptum legitur: Ἰησοῦς οὖν εἰδὼς πάντα τὰ ἐρχόμενα ἐπ' αὐτὸν ἐξῆλθεν καὶ λέγει αὐτοῖς, quod paraphrasta circumscribit

Par. XVIII, 25: Ἰησοῦς δ' ἀδίδακτος ἰδὼν μέλλουσαν ἀνάγκην,
26: ἄτρομος [3]), αὐτοκέλευστος ἀνέδραμε κῆπον ἐάσας.

Primum equidem persuasum non habeo Nonnum in evangelii codice legisse ἰδών pro εἰδώς, ut Scheindler contendit. Vocem enim εἰδώς his duobus verbis expressit: ἀδίδακτος ἰδών. Nam patet addito vocabulo ἀδίδακτος vocem ἰδών adhiberi de mentis visu i. e. de scientia. Per se ipse doctus Dominus intellexit, quid futurum esset.

Deinde verbum Joanneum ἐξῆλθεν Nonnus explicat verbis: ἀνέδραμε κῆπον ἐάσας, ita ut interpretetur evangelistam faciatque Christum ex ipso horto egressum. At evangelium duobus modis potest explicari, 1: ut Christus hortum relinquat, cum e verbis Jo. XVIII, 3: ἔρχεται ἐκεῖ non efficiatur Judam hortum intrasse neque e Jo. XVIII, 26: οὐκ ἐγώ σε εἶδον ἐν τῷ κήπῳ μετ' αὐτοῦ, servum Malchi cognatum et Petrum interrogantem in hortum esse ingressum, sed tantummodo Petrum, cum is in horto esset, vidisse [4]); 2: ut

[1]) Arist. Acharn. 453.

[2]) Becker, Charikles I, p. 275; cf. H. K. A. W. IV, I, 2, p. 65: „Zum nächtlichen Ausgang bediente man sich ... wohl auch eines Topfes oder Korbes, worin man das Lämpchen stellte", sed testimonia non affert; Marquardt, Das Privatleben der Römer II, p. 712. Nullus auctor recentior pericopae Par. XVIII, 16—24 mentionem facit excepto K. Kuiper l.l., qui laternam ex papyri schedis contextam fuisse suspicatur. [3]) In Par. †.

[4]) Cf. Belser, Die Gesch. des Leidens cet. p. 289; Groenen o. l. p. 198.

Christus prodierit ex eo horti loco, ubi esset[1]). In priori sententia paraphrasta est neque sibi contradicit

Par. XVIII, 126: οὐ σε μετ' αὐτοῦ
127: εἶδον ἐγὼ δρυόεντος ὁμέστιον ἔνδοθι κήπου.

Attamen ea, quae de horto deque extremo ejus angulo dicta sunt[2]), huic sententiae consentire non videntur. Manifestum est enim Dominum ex horti angulo processisse, eum ex ipso horto egressum esse non intellegitur. Tamen verbum ἐάσας solummodo de loco derelicto explicari potest[3]).

Intrepidus deinceps Christus milites interrogat, summa dignitate praeditus. Id Nonnus, ut omittam vocabula ἄτρομος et αὐτοκέλευστος, praesertim exprimit his verbis:

Par. XVIII, 27: καὶ στρατιὴν ἐρέεινε σακέσπαλον ὀξέι μύθῳ·
34: καὶ ὡς ἐφθέγξατο λαῷ
35: ἀβροχίτων, ἀσίδηρος ἄναξ ῥηξήνορι φωνῇ·
39: Ἰησοῦς δ' ἐρέεινε τὸ δεύτερον ἔμφρονι μύθῳ·
43: Ἰησοῦς δ' ἀγόρευεν ἀδειμάντῳ τινὶ φωνῇ.

Omnibus his versibus paraphrasta oppositionum maxime amans est. Passim enim milites gladiis clipeisque instructi opponuntur Domino inermi. Nam milites dicuntur: στρατιὴ σακέσπαλος, σιδηροφόρων[4]) στρατὸς ἄνδρων, μαχήμονες ἀσπιδιῶται, Dominus autem ἀβροχίτων ἀσίδηρος est. Haec vocabula, quae in Paraphrasi tantummodo loco laudato leguntur[5]), in Dionysiacis conjuncta scripta sunt de Athena[6]), de Dionyso[7]). Sed Dominus, quamquam tunica molli indutus est et inermis, sui compos voce viros frangente[8]) et intrepida[9]) inimicos alloquitur; quin etiam proni cadunt in terram inermi[10]) vocis procella conturbati. Verba, quae in evangelio sequuntur v. 5: λέγει αὐτοῖς Ἰησοῦς· ἐγώ εἰμι, paraphrasta praetermittere non potuit, sed codices hucusque servati eorum circumscriptionem non exhibent. Christum ea verba dixisse Nonnus indicat v. 34: καὶ ὡς ἐφθέγξατο λαῷ cet.. Ordinem autem versuum atque rerum in Paraphrasi hunc fuisse puto: post v. 30: explanatio verborum Joannis: λέγει αὐτοῖς Ἰησοῦς, deinde

[1]) Cf. Knabenbauer, in Joannem, p. 510. [2]) Cf. Par. XVIII, 5 sqq..
[3]) Cf. Par. III, 110: πέδον Γαλιλαῖον ἐάσας; IV, 222; XII, 1; passim.
[4]) Praeterea Par. XIX, 73: σιδηροφόρων ἀπὸ γόμφων.
[5]) Praeterea ἀσίδηρος Par. XII, 162. [7]) Cf. Dion. XLIII, 441.
[6]) Cf. Dion. II, 708. [8]) Vox ῥηξήνωρ in Par. †.
[9]) Ἀδείμαντος Par. V, 44; VII, 47; XVIII, 43.
[10]) Ἀτευχής in Par. †; Dion. I, 476; XVII, 139; XXII, 374; XXIV, 237.

(44): *Ναζαρεθ* [1]) *ναέτης τελέθω Γαλιλαῖος Ἰησοῦς*, cet.

34: *καὶ ὡς ἐφθέγξατο λαῷ*
35: *ἀβροχίτων, ἀσίδηρος ἄναξ ῥηξήνορι φωνῇ·*
(44): *Ναζαρὲθ ναέτης τελέθω Γαλιλαῖος Ἰησοῦς·* cet.

43: *Ἰησοῦς δ' ἀγόρευεν ἀδειμάντῳ τινὶ φωνῇ·*
44: *Ναζαρὲθ ναέτης τελέθω Γαλιλαῖος Ἰησοῦς,*
45: *Ἰησοῦς Γαλιλαῖος ἐγὼ πέλον.*

Facio igitur cum Scheindler, qui versum 44 post v. 35 posuit, sed etiam post v. 31 et suo loco v. 44 eum legendum esse arbitror.

Postremo paraphrasta narrat milites pronos in terram cecidisse

Par. XVIII, 36: *πάντες ἐπ' ἀλλήλοισι μαχήμονες ἀσπιδιῶται*
37: *αὐτόματοι πίπτοντες ἐπεστόρνυντο κονίῃ*
38: *πρηνέες, οἰστρηθέντες ἀτευχέι λαίλαπι φωνῆς.*

Contra Joannes dicit: *ἀπῆλθαν εἰς τὰ ὀπίσω καὶ ἔπεσαν χαμαί* [2]). Ex his verbis efficitur apud Joannem milites supinos cecidisse. Nam, qui territus retro cedit, non pronus sed supinus cadit. Nonnus autem omittit verba: *ἀπῆλθαν εἰς τὰ ὀπίσω* et apud eum p r o n i c a d u n t. Num fortasse indicare voluit milites, quamvis invitos, si minus mente tamen corpore Christum adoravisse? Ubique enim id agit, ut divinitatem Jesu quam maxime insignem faciat. *Προσκύνησις* itaque a militibus facta est [3]). Hi milites Nonno Judaei sunt. Unde mirum non est eos Christi inimicos [4]) appellari, praesertim cum sacerdotes cum iis commixti essent.

Denique animadverto

Par. XVIII, 50: *τούτων οὐδὲν ὄλωλε, τά μοι πόρες*, lectionem codicum *ὄλωλε* sine ulla dubitatione servandam esse, quamvis omnes ante Juvenem editiones scripserunt *ὄλωλα*. Quamquam enim paraphrasta paululum declinat non a sententia, sed a verbis evangelii: *οὓς δέδωκάς μοι, οὐκ ἀπώλεσα ἐξ αὐτῶν οὐδένα* [5]), tamen versus 50 paraphrasis verbum intransitivum desiderat non primae sed tertiae personae. *Ὄλωλα* enim significat „perii", non autem „perdidi". Conferas quaeso Par. XVII, 41, ubi legitur *ὤλετο*, cum Jo. XVII, 12, quo *ἀπώλετο* scriptum est.

---

[1]) Cf. n. 57.
[2]) Jo. XVIII, 6.
[3]) K. Kuiper, o. l., p. 384 sqq. hanc adorationem subtiliter et probabiliter exponit de religione Aegyptiaca Christo Domino invita cedente. Sic de laternis dicit: „Kunnen dat andere lampen zijn dan de luchters in den Aegyptischen eeredienst bekend?" et de lanternario: „de lantaarndrager van Sarapis met den sterrenmantel abdiceert ten gunste van den Christus".
[4]) *Δυσμενής* in Par. †; Dion. XXI, 85.
[5]) Jo. XVIII, 9.

N. 46. Versibus Par. XVIII, 64—111, quibus explicatur Jo. XVIII, 1—23, Nonnus sub oculos nobis subjicit ea, quae in Annae pontificis domo acta sunt. De ipso autem Anna, de Caipha, de alio discipulo i. e. Joanne, de Petro, jam egi capite primo. Sed de carbonibus candentibus, quibus ministri corpora calefaciunt, hoc numero, de templo deque iis, qui templum invisunt eo, qui sequitur, numero dicam.

In describendo igne Nonnus diligens est. Haec habet:

Par. XVIII, 83: *συμμιγέες δ᾽ ἵσταντο διάκτοροι ἀρχιερῆος*
84: *θῆτες ὁμοῦ καὶ δμῶες· ἐθερμαίνοντο δὲ κύκλῳ*
85: *ἀνθρακιὴν στορέσαντες. ὑπὸ σπινθῆρι* [1]) *δὲ λεπτῷ*
86: *πυρσὸν ἄκαπνον* [2]) *ἔχουσα μαραίνετο* [3]) *φειδομένη φλόξ.*
87: *νὺξ γὰρ ἔην σκοτίη, δυσπέμφελος· ἑσπέριοι δὲ*
88: *γαῖαν ἐπιψύχοντες ἀνερρίπιζον ἀῆται·*
89: *δμῶες ὅθεν θάλποντο φίλῳ πυρί,* et de eodem igne:
116: *Σίμων δ᾽ ἐσχαρεῶνι παριστάμενος καὶ ἀλύων*
117: *ψυχρὸν ἐπ᾽ ἀνθρακόεντι* [4]) *δέμας θερμαίνετο πυρσῷ,*
118: *θαλπόμενον δ᾽ ἐρέεινον,* praeterea de miro ad mare Tiberiadis igne:

Par. XXI, 56: *πυρκαϊὴν φλογόεντι* [5]) *μαραινομένην ἴδον ἀτμῷ·*
57: *ἀνθρακιῆς δ᾽ ἐφύπερθεν ἐπ᾽ ὀφρύσι κείμενον ἰχθύν.*

Ignis carbonum, quem Joannes *ἀνθρακιάν* [6]) vocat, a Nonno quoque dicitur *ἀνθρακιά,* praeterea *ἐσχαρεών* [7]), *ἀνθρακόεις πυρσός, πυρκαϊή.* Vox *πυρσός* etiam legitur Par. IV, 213 de febri; XIII, 96 de animo Christi conturbato, sc.

Χριστὸς ἀσιγήτοιο νόου κυμαίνετο πυρσῷ.

Cetera vocabula in Paraphrasi locis tantummodo laudatis occurrunt. Verba conjuncta: *ἀνθρακιὴν στορέσαντες* scripta leguntur apud Homerum quoque:

ἀνθρακιὴν στορέσας ὀβελοὺς ἐφύπερθ᾽ ἐτάνυσσε [8]),

notatu autem dignum est a Nonno quoque dici: *ἀνθρακιῆς ἐφύπερθε.* Harum prunarum flamma parca marcescit, ita ut ignis fumum non faciat, sed scintillae tenues ex eo emicent. Quodammodo comparari possunt:

ὡς δ᾽ ὅτε τις δαλὸν σποδιῇ ἐνέκρυψε μελαίνῃ....
σπέρμα πυρὸς σῴζων [9]), et:

---

[1]) Praeterea Par. V, 135; XIX, 10; XX, 56.
[2]) In Par. †. [3]) In Par. †. [4]) In Par. †.
[5]) In Par. †; praeterea Par. XV, 25: *φλογέῳ* † *πυρὸς ἀτμῷ.*
[6]) Jo. XVIII, 18; XXI, 9; ceterum in N. T. non occurrit.
[7]) In Par. †. [8]) Il. IX, 213. [9]) Hom. Od. V, 488 sqq..

„Inque foco tepidum cinerem dimovit et ignis
suscitat hesternos" [1]), denique paraphrasta narrat noctem fuisse obscuram et procellosam. *Σκοτίη* [2]) erat et *δυσπέμφελος* [3]). Haec vox poëtica et rara legitur apud Homerum de ponto [4]) iterumque apud Hesiodum [5]); apud eundem quoque de navigatione dicitur [6]). Sed haec ipse addidit paraphrasta, ut explicaret, cur ministri ignem fecissent.

Annae interroganti Christus Dominus cum alia tum haec respondet N. 47.
Par. XVIII, 96: *ἐγὼ φιλοπευθέι κόσμῳ*
97: *ἀμφαδίην ὀάριζον ἐν εὐαγέεσσι μελάθροις,*
98: *αὐταῖς ἐν τριόδοισι θεοκλήτῳ τ' ἐνὶ νηῷ,*
99: *ἧχι πολυσπερέων αὐλίζεται ἔθνεα λαῶν.*

Templi Hierosolymitani, graece *τὸ ἱερόν* dicti, Joannes undecies [7]) mentionem facit, de synagoga, quae dicitur *συναγωγή*, bis [8]). Horum vocabulorum neutro Nonnus utitur. Templum plerumque *νηόν* dicit, imitatus Homerum [9]), Herodotum [10]), Pindarum [11]). Vocabulum *ἱερός* [12]) apud eum semper est nomen adjectivum et valet idem ac „sacer, sanctus". Excipitur Par. VII, 36: *γνωτοὶ δ' ὡς ἀνέβαινον ἐς ἱερόν,* quo evangelium dicit: *ἑορτήν* [13]). Praeterea templum est *δόμος* [14]), *δῶμα* [15]), *οἶκος* [16]), *δάπεδον* [17]), *μέλαθρον* [18]). Hoc templum Deo dicatum esse Nonnus expressis verbis dicit; est enim *θεόκλητος, ἱερός, θεόδμητος, ζάθεος, θυώδης, θυόεις, ἁγνός*. Vox *θεόκλητος* significat: „a Deo appellatus" vel: „ubi Deus invocatur", et dicitur de templo [19]), de altari [20]), de sacerdotibus [21]); vocabulum *θεόδμητος* est: „Deo aedificatus" vel: „divinitus exstructus", et legitur de templo [22]) et de altari [23]). Harum significationum prior

1) Ov. Metam. VIII, 641 sq..
2) In Par. †.
3) In Par. †.
4) Cf. Hom. Il. XVI, 748 †.
5) Cf. Hesiod. Th. 440.
6) Cf. Hes. Op. 618.
7) Cf. Jo. II, 14; 15; V, 14; VII, 14; 28; VIII, 2; 20; 59; X, 23; XI, 56; XVIII, 20.
8) Cf. Jo. VI, 59; XVIII, 20.
9) Cf. Hom. Il. I, 39; VI, 88; Od. VII, 81.
10) Cf. Herod. I, 19; II, 155; cet..
11) Cf. Pind. Pyth. IV, 55; Ol. XIII, 21.
12) Cf. n. 75.
13) Cf. Jo. VII, 10.
14) Par. II, 87; V, I.
15) Par. II, 88.
16) Par. II, 90; 100; V, 33.
17) Par. II, 82.
18) Par. IX, 117; XVI, 3; XVIII, 58.
19) Par. II, 72; IX, 117; XVIII, 98.
20) Par. IV, 100.
21) Par. I, 77.
22) Par. II, 110.
23) Par. IV, 94.

tam ad templum quam ad altare pertinet, posterior solummodo ad templum. Verba *θυόεις*, semel de templo [1]), praeterea de odoribus [2]) dictum, et *θυώδης*, bis de templo [3]), semel de amphoris [4]) scriptum, thus aliosque odores designant. *Ἁγνόν* [5]) templum dicitur tantum Par. II, 87. Utrum prima hujus verbi significatio sit „purus" an „sacer" in medio relicto, de templo dictum hoc vocabulum valere „sacer" planum est. Verbo *συναγωγή* Nonnus nunquam utitur, sed locis parallelis adhibet voces *νηός* [6]) et *μέλαθρον*, quod *εὐαγές* dicitur [7]).

Magno autem errore tenetur paraphrasta, cum templum aedificatum esse a Salomone putavit. Hoc enim, septem annos exstructum, destructum erat jamdudum. Sed Judaei, Christum interrogantes, loqui Dominum putant de templo, in quo versantur, idque, a Zorobabel aedificatum, ab Herode rege commutatum erat. Legitur tamen

Par. II, 97: *ὃν Σολομὼν ποίησε λίθων ἑτερόχροϊ κόσμῳ,*
X, 78: *ἐξότε νηοῦ*
79: *ἕδρανα δωμήσας Σολομῶν εὐκίονι τέχνῃ*
80: *θεσπεσίῃς ἀρχαῖον ἐκαίνισε θεσμὸν ἑορτῆς.*

Hoc loco Nonnus alio etiam in errore versatur, sicut Cyrillus Alexandrinus [8]); etenim evangelista agit de festo die, quem Judas Macchabaeus instituit, non autem Salomon [9]).

Species et forma templi celebrantur his verbis:

Par. V, 1: *Ἰησοῦς δ' ἀνέβαινεν, ὅπῃ δόμος αἰθέρι γείτων*
2: *χιονέην ἀμάρυσσε λίθων ἑτερόχροον αἴγλην,*

idemque dicitur *λιθώδης* [10]), *εὐλάιγξ* [11]), *ἀργυροφεγγής* ejusque *ἕδρανα* aedificata sunt *εὐκίονι τέχνῃ* [12]); ejus autem porticus quidam Salomonis cognomine appellatur

Par. X, 83: *θέσκελον αἰθούσης πολυδαίδαλον οὖδας ὁδεύων,*
84: *ἀρχεγόνου Σολομῶντος ἐπώνυμον.*

Templum fuisse lapideum pulchrisque lapidibus exstructum dis-

---

1) Par. II, 80.
2) Par. XI, 5; XII, 10; XIX, 206.
3) Par. XI, 228; XII, 176.
4) Par. II, 12.
5) Cf. n. 75.
6) Par VI, 181.
7) Par. XVIII, 97; de voce *εὐαγής* cf. n. 75.
8) Cf. M. P. G. LXXIV, 16; K. Kuiper, o. l., p. 347.
9) Cf. I Macch. IV, 59; II Macch. X, 5—8.
10) Par. II, 85; V, 47; VII, 141; praeterea XIX, 222 de Christi sepulcro dicitur.
11) Par. X, 35; VII, 51; praeterea: VI, 181 de synagoga, quae erat Capharnaum XIX, 68 de sella tribunali; XIX, 217 de Christi sepulcro.
12) Par. X, 79 †.

putatione non eget neque, sive primum sive alterum templum dicas, columnis affabre factis esse aedificatum. Sed quomodo fieri potuit, ut templum resplenduerit *λίθων ἑτερόχροϊ κόσμῳ* et *χιονέην ἀμάρυσσε λίθων ἑτερόχροον αἴγλην*, quin etiam fuerit *ἀργυροφεγγής*? Vox autem *ἑτερόχροος* significat: „d i s c o l o r" vel: „i s, q u i v a r i o s c o l o r e s h a b e t". Sic aqua vinum facta dicitur discolor, niveo colore in rubrum mutato [1]). Sed idem dici nequit de

Par. XXI, 59: *ἄξατε νῦν βυθίων νεπόδων ἑτερόχροον ἄγρην,*

sed hoc loco significat vel: „v a r i o s c o l o r e s h a b e n s" vel fortasse: „d i v e r s u s", „v a r i u s q u o q u o m o d o", ut

Dion. X, 19: *πάλλετο δειμαίνων ἑτερόχροα φάσματα μορφῆς.*

Quodsi eodem modo explices verba: *λίθων ἑτερόχροϊ κόσμῳ* [2]) sc. „lapidum inter se conjunctorum figuris varias species praebentibus", non contradico. Sed verba: *λίθων ἑτερόχροον αἴγλην* [3]) tantum de coloribus intelligi possunt. Et hic ardor simul dicitur niveus i. e. *χιονέη* [4]) *αἴγλη*. Neque haec sibi contraria sunt. Nam templum candidis marmoribus constructum jure dici potest niveum idemque splenduit nitore et varietate colorum, solis radiis aciem oculorum praestringentibus; praesertim cum plurimae templi partes auro contectae essent. Idem dicit Josephus: *„Τὸ δ' ἔξωθεν αὐτοῦ πρόσωπον οὐδὲν οὔτε εἰς ψυχῆς οὔτε εἰς ὀμμάτων ἔκπληξιν ἀπέλιπε. Πλαξὶ γὰρ χρυσοῦ στιβαραῖς κεκαλυμμένος πάντοθεν, ὑπὸ τὰς πρώτας ἀνατολὰς πυρωδεστάτην ἀπέπαλλεν αὐγὴν καὶ τῶν βιαζομένων ἰδεῖν τὰς ὄψεις ὥσπερ ἡλιακαῖς ἀκτῖσιν ἀπέστρεψε. Τοῖς γε μὴν εἰσαφικνουμένοις ξένοις πόρρωθεν ὅμοιος ὄρει χιόνος πλήρει κατεφαίνετο· καὶ γὰρ καθὰ μὴ κεχρύσωτο λευκότατος ἦν"* [5]). Neque mirum est idem templum dici *ἀργυροφεγγές* [6]) propter marmorum candidum fulgorem oculos obcaecantem. Sed non videtur mihi esse verisimile hoc nomine insigniri totam domum, propterea quod portae aliquae laminis argenteis erant contectae, quod idem narrat Josephus [7]). Ex iis igitur, quae de templo Nonnus scripsit, manifestum est nonnisi intelligentias quasi adumbratas

---

[1]) Cf. Par. II, 36. [2]) Par. II, 97. [3]) Par. V, 2.

[4]) In codicibus legitur *κιονέην*, quod admitti non posse patet.

[5]) Jos. Fl. B. J. V, V, 6; cf. A. J. XV, XI, 3.

[6]) Par. VII, 104 †; cf. Anth. Pal. XI, 313,3: *λιμὸς ἀργυροφεγγής*, quod de patellis vacuis dicitur.

[7]) Jos. Fl. B. J. VI, IV, 2.

illi fuisse de templo Hierosolymitano nihilque certi eum scripsisse sed auctorum incertis descriptionibus usum esse.

De iis, qui templum invisunt, Nonnus haec scripsit:

Par. XVIII, 99: ἧχι πολυσπερέων αὐλίζεται ἔθνεα λαῶν.

Vox autem ἔθνος in Paraphrasi semper de populo Judaeorum dicitur [1]). Verba conjuncta: ἔθνεα λαῶν hic tantum occurrunt, ubi apud Joannem legitur: ὅπου πάντες οἱ Ἰουδαῖοι συνέρχονται [2]). Quamobrem maxime verisimile est loco quoque laudato Judaeorum gentem designari, non autem paganos sive ethnicos [3]), ut I Cor. XII, 2: Οἴδατε ὅτι ὅτε ἔθνη ἦτε πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα ὡς ἂν ἤγεσθε ἀπαγόμενοι, Rom. XV, 10: εὐφράνθητε, ἔθνη, μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. Quod attinet ad verba conjuncta: ἔθνεα λαῶν animadvertendum est voce λαός saepissime significari „turbam, homines", ut Par. II, 96; XI, 98, quibus locis apud Joannem agitur de Judaeis [4]). Occurrunt verba conjuncta apud Homerum:

ὡς ἴδε λαῶν ἔθνος ἐπισπόμενον ἑοῖ αὐτῷ [5]).

Praeterea, quia voce πολυσπερής significatur multitudo multum dispersa [6]), exquisitius mihi videtur Nonno imponere id consilium, ut versu laudato Judaeorum διασποράν exprimere voluerit.

Denique de vocibus τανύθριξ et ἀεσίφρων, quae leguntur

Par. XVIII, 108: Ἰησοῦς δ' ἀγόρευε τανύτριχα λάτριν ἐλέγχων·
109: εἰ θρασὺς ὡμίλησα κακῶς ἀεσίφρονι θυμῷ,

in appendice agam. Nam sicut Nonnus, habitus hominum et figurae delineandae cupidus, hic capillos promissos servi pontificis describit voce τανύθριξ, sic aliis quoque locis de capitis cultu loquitur [7]). De voce autem ἀεσίφρων eodem numero, quo agitur de vocabulo παρήορος, dicam [8]).

N. 48. Ea, quae coram Caipha acta sunt, a Joanne narrantur XVIII, 24—27, a Nonno circumscribuntur Par. XVIII, 112—129. Sed, omissa negatione Petri, de qua satis dictum est [9]), de prioribus tantum versibus disserendum esse mihi visum est. Legitur autem apud Scheindlerum:

---

[1]) Cf. Par. XI, 197; 198; 205; 211; 212; XVIII, 68; 165.
[2]) Jo. XVIII, 20.
[3]) Cf. Hebr. גוים.
[4]) Cf. Jo. II, 20; XI, 31.
[5]) Hom. Il. XIII, 495.
[6]) Cf. n. 44.
[7]) Cf. n. 87.
[8]) Cf. n. 93.
[9]) Cf. n. 18.

Par. XVIII, 112: Ἄννας μὲν φονίης *πεφορημένον* εἰς λίνον ἄγρης
113: χεῖρας *ὀπισθοτόνους πεπεδημένον* ἄζυγι δεσμῷ
114: Ἰησοῦν προέηκεν ἑῷ λυσσώδει γαμβρῷ,
115: ἀρχιερεὺς ἑτέρῳ *πεφυλαγμένον* ἀρχιερῆι.

Scheindler autem in totius hac loci emendatione secutus est Tiedkium. In codicibus vulgo scriptum est:

Par. XVIII, 112: Ἄννας μὲν φονίης *πεφυλαγμένον* ἐς λίνον ἄγρης
113: χεῖρας *ὀπισθοτόνῳ πεπεδηκότα δίζυγι* δεσμῷ
114: Ἰησοῦν προέηκεν ἑῷ λυσσώδει γαμβρῷ,
115: ἀρχιερεὺς ἑτέρῳ *πεφορημένον* ἀρχιερῆι,

praeterquam quod in Vaticano legitur scriptum:

Par. XVIII, 113: χεῖρας *ὀπισθοτόνῳ πεπεδηότα δίζυγι* δεσμῷ,

et Rigler correxit:

χεῖρας *ὀπισθοτόνῳ πεπεδημένον ἀκλέι* δεσμῷ.

Equidem legendum esse puto:

Par. XVIII, 112: Ἄννας μὲν φονίης πεφορημένον εἰς λίνον ἄγρης
113: χεῖρας ὀπισθοτόνῳ πεπεδηότα *δίζυγι* δεσμῷ
114: Ἰησοῦν προέηκεν ἑῷ λυσσώδει γαμβρῷ,
115: ἀρχιερεὺς ἑτέρῳ *πεφυλαγμένον* ἀρχιερῆι.

Admitto igitur conjecturam factam v. 112 a Tiedke: *πεφορημένον*, extincto verbo *πεφυλαγμένον*, vel potius translato in versum 115 loco verbi πεφορημένον. Quod enim attinet ad vocem *πεφυλαγμένον*, primum haec non congruit cum vocabulis *εἰς λίνον* ἄγρης. Nam in Paraphrasi verbum *φυλάττειν* conjungitur cum dativo, sive addita particula ὑπό, ἐν sive non addita, ut

Par. XIV, 60: ἡμετέρην *πραπίδεσσι φυλάξατε* πᾶσαν ἐφετμήν [1]),
Par. VIII, 155: καί κεν ἀσυλήτοισιν *ὑπὸ πραπίδεσσι φύλαξοι*,
Par. XVII, 18: καὶ πιστὸν *ἐν ἀτρέπτῳ τινὶ θεσμῷ*
19: μῦθον σεῖο *φύλαξαν*· praeterea legitur
Par. XV, 87: καὶ λόγον ὑμείων *κραδίης ἔντοσθε φυλάξει*.

Bis conjungitur cum particula εἰς, sc.

Par. XII, 102: *εἰς βιοτὴν* αἰῶνος ἀλωφήτοιο *φυλάσσει*,
Par. XV, 47 = 68: δεσμὸν *ἐς ἀλλήλους* φιλίης ἀλύτοιο *φυλάσσειν*,

ita tamen, ut significet custodire in quendam finem, quem quis attingere velit. Sed tali modo hoc verbum v. 112 explicari nequit. Non enim custoditur Christus, ut capiatur, sed jam captus custo-

[1]) Cf. Par. XI, 144 sq.; XVII, 54.

ditur. Versu autem 115 verbum πεφυλαγμένον optime quadrat cum ceteris vocabulis, quamvis πεφορημένον non abhorreat.

Deinde v. 112 verbum πεφορημένον — ut omittam majorem versus partem simillimam esse versui

Par. VI, 229: χρυσομανὴς δολίης πεφορημένον εἰς λίνον ἄγρης— optime congruit cum verbis: εἰς λίνον ἄγρης, quippe cum Christus ductus sit in rete. Significat autem verbum φορεῖσθαι saepius „duci, rapi", ut apud Sophoclem: κόνις δ' ἄνω φορεῖτο[1]). Quamobrem, etiamsi hoc verbum in Paraphrasi conjungatur cum dativo, ut Par. III, 43: βόμβον ἀκούεις,

44: οὔασιν ὑμετέροις πεφορημένον, et Par. XIV, 96, hoc dativo tamen indicatur locus, in quem quis ducitur.

De versu 113 duae quaestiones proponuntur, quarum altera quaeritur de vocabulo ὀπισθοτόνῳ, altera de conjunctis vocibus: πεπεδηότα δίζυγι δεσμῷ. Vox ὀπισθοτόνῳ vulgo legitur neque a viro docto Rigler mutatur in ὀπισθοτόνους, in quod corrigitur a Tiedke, Scheindler. Concedo equidem vocem ὀπισθότονος, quod in Paraphrasi solummodo loco laudato occurrit, in Dionysiacis legi de pedibus manibusve dictum, ut

Dion. X, 152: ποσσὶν ὀπισθοτόνοισι ῥυηφενὲς ἔσχισεν ὕδωρ,

i. e. satyr natans pedes post se retro extendebat pedibusque ita retro extensis repellebat aquae magnam copiam. Arcus quoque retro tentus dicitur

Dion. VII, 195: ὀπισθοτόνοιο δὲ τόξου

196: ἑλκομένου ῥοίζησε σοφὸν βέλος Εὔιον ἠχώ, i. e. ab arcu tento, itaque retro flexo, fatidica sagitta emissa sonitum Bacchicum sonuit. Sed quid est, quod vinculum, a tergo tentum, ὀπισθότονος dici nequeat, non video. Non solum enim manus sed etiam vincula a tergo extenta sunt, cum manus vinculis a tergo vinctae sint. Sed imprimis animadvertendum est locum citatum non singularem esse. Nam Simon. ap. Plut. Mor. p. 456 C lora dicuntur ἱμάντες ὀπισθόδετοι.

Verborum: πεπεδηότα δίζυγι (δεσμῷ) alterum mutari non potest, altero immutato. Itaque si retineatur lectio πεπεδηότα, conjectura ἄζυγι admitti nequit. Quaerendum est igitur de verbo πεπεδηότα, quo correcto corrigendum est δίζυγι, quo relicto relinquitur. Solus codex Vaticanus exhibet hanc lectionem, ceteri omnes habent πεπεδηκότα. Sed haec admitti omnino non posse

---

[1]) Soph. El. 714 sq..

clare patet, siquidem significat eum, qui vinxit, non eum, qui vinctus est. Praeterea, ut Scheindleri verbis utar, „fit, ut, ubi a Laurentiano destituamur[1]), Vaticanus primus testis habendus sit"[2]). Hujus codicis autem lectio πεπεδηότα, quamvis forsitan singularis esse videatur, nec singularis et consentanea est. Usus enim perfecti secundi, utpote antiquioris, apud Homerum frequentior est[3]), nec desunt participiorum exempla exhibentia exitum in —ηώς, ut βεβαρηώς[4]), κεκμηώς[5]), κεκορηώς[6]). Proinde mirum non est Nonnum — Homeri epicique sermonis sectatorem — scripsisse Par. XVIII, 113: πεπεδηότα, sed alibi, ut

Par. XI, 23: κέκλιτο νουσαλέῳ πεπεδημένος ἅψεα δεσμῷ,

sicut Par. II, 86: βεβαρημένον ὄγκῳ, sed Par. XXI, 68: βεβαρηότες οἴστρῳ[7]). Neque in hac re abhorret ab Homero, apud quem legimus Il. IX, 13: ἶζον δ' εἰν ἀγορῇ τετιηότες et Il. XIII, 437: φίλον τετιημέναι ἦτορ. Praeterea licet comparare Par. IV, 197: δεδαημένος ἤθεα φωτῶν[8]) et Par. II, 18: Χριστῷ καὶ δεδαῶτι[9]), cum Hymn. Hom. Merc. 483 sq.: ὅς γὰρ ἂν αὐτὴν
τέχνῃ καὶ σοφίῃ δεδαημένος ἐξερεείνῃ,
et Od. VII, 518: ὅς τε θεῶν ἒξ
519: ἀείδῃ δεδαὼς ἔπε' ἱμερόεντα βροτοῖσιν.

Denique perfecta secunda, cum perfecta graeca non tam tempus designent quam perpetuam conditionem ex actione ortam, imprimis si ejusdem verbi tempus primum quoque adest, intransitiva sunt. Ergo verbum πεπεδηότα significare eum, qui vinctus est, maxime est consentaneum. Itaque nullam pro verbo πεπεδηότα conjecturam admittendam esse censeo, quamvis e. g. forma πεπεδηκώς verborum contextui maxime congrua sit. Sed et supervacanea mihi esse videtur et corruptelam codicum πεπεδηκότα

---

1) Cf. Scheindler, Praef. p. XXXIII: „Vaticanus, qui post versum Θ, 113, quo Laurentianus finitur, primum locum obtinet."

2) Scheindler, Praef. p. XX.

3) Cf. Kühner—Blass I, 2, p. 94: „Bei Homer findet diese Perfektbildung bei allen Verbalklassen: Mutis, Liquidis und Puris statt"; p. 97, A. 5: „Für das Particip vokalischer Stämmen ist bei Homer das Fehlen des κ weitaus das Ueberwiegende"; cf. J. van Leeuwen, Enchir. dict. ep. § 160, A. 2.

4) Cf. Od. III, 139; XIX, 122.

6) Cf. Od. XVIII, 372.

5) Cf. Il. VI, 261; Od. X, 31.

7) Cf. Od. III, 139: οἴνῳ βεβαρηότες; quocum conferas Theocr. XVII, 61: ὠδίνεσσιν βεβαρημένα; Plat. Conv. p. 203 B: εἰς τὸν τοῦ Διὸς κῆπον εἰσελθὼν βεβαρημένος ηὗδεν.

8) Cf. Par. VI, 222.

9) Cf. Par. VI, 218.

non tam clare explicat et vocabulum in quarto hexametri pede simul cum metro finit, quod Nonno inusitatum esse videtur.

Postremo, si qui sint, qui, praeterquam quod metrum id exigere arbitrantur, ob aliam causam ἄζυγι legere velint, ii nimis diligentes esse mihi videntur. Nam utrum Christus simplici vinculo devinctus sit an duplici, nihil interest nec dijudicari potest voce δίζυγι, quae tam funem duplicem quam funem duplices manus conjungentem significare potest. Praeterea consulto ejusdem litterae δ assiduitate Nonnus usus esse videtur: πεπεδηότα δίζυγι δεσμῷ.

N. 49. E ceteris, quae inde a versu 130 usque ad capitis XVIII finem in Paraphrasi leguntur[1]) iisque describuntur ea, quae coram Pilato acta sunt, donec Christus flagellatur, duo tantum explicanda elegi. Primum est, quod legitur

Par. XVIII, 164: ὑμέτερον δὲ
165: ἔθνος, ἵνα κρίνω σε, καὶ ἀνέρες ἀρχιερῆες
166: αὐτοὶ ἐμοὶ παρέδωκαν ἀναυδέες, quo loco apud

Joannem legitur: τὸ ἔθνος τὸ σὸν καὶ οἱ ἀρχιερεῖς παρέδωκάν σε ἐμοί[2]). Formam pronominis ὑμετέρου pluralem adhibet Nonnus pro singulari. Sic quoque Par. XVIII, 56: ἡμετέρου δὲ

57: οὐ πίομαι γενέταο φίλον δέπας ἡδέι θυμῷ;

et Par. XVIII, 169: ἡμετέρη γὰρ
170: εἰ πέλε κοιρανίη γαιήιος,

Par. XVIII, 179: γλώσσης ἡμετέρης.

Hunc usum optime explicat Kühner-Blass[3]). Etenim forma pluralis illa indicat rem, de qua agitur, pertinere quoquomodo non tantum ad eum, qui forma pronominis designatur, sed ad alios quoque ei conjunctos. Significat igitur ὑμέτερον δὲ ἔθνος populum ad quem tu, quem alloquor, pertines, et populares tui. Verum sensim sine sensu promiscue utramque pluralis et singularis formam adhibere coeperunt auctores.

N. 50. Alterum, quod explicetur necesse est, legitur

Par. XVIII, 174: καὶ Πιλάτος πάλιν εἶπεν ἀμοιβαίῃ τινὶ φωνῇ·
175: ἦ ῥά νυ κοίρανός ἐσσι; καὶ ἀντιάχησεν Ἰησους·
176: καὶ γενόμην εἰς τοῦτο καὶ ἤλυθον, ὄφρα κεν αἰεὶ
177: μάρτυς ἐτητυμίης πανθελγέος ἀνδράσιν εἴην·

---

[1]) Cf. Jo. XVIII, 28–40.

[2]) Jo. XVIII, 35.

[3]) Cf. Kühner—Blass II, 1, p. 83, 3.

178: *καὶ πᾶς, ὃς προβέβουλεν ἀληθείης ζυγὸν ἕλκειν,*
179: *γλώσσης ἡμετέρης ἀψευδέα μῦθον ἀκούει.*
180: *καὶ Πιλάτος θάμβησε καὶ ἔμπαλιν εἴρετο μύθῳ·*
181: *ἀτρεκίη τί πέλει;* ubi apud Joannem legitur: *εἶπεν οὖν αὐτῷ Πειλᾶτος· οὐκοῦν βασιλεὺς εἶ σύ; ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς· σὺ λέγεις ὅτι βασιλεύς εἰμι. ἐγὼ εἰς τοῦτο γεγέννημαι καὶ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ· πᾶς ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας ἀκούει μου τῆς φωνῆς. λέγει αὐτῷ ὁ Πειλᾶτος· τί ἐστιν ἀλήθεια* [1]); Verba Joannea: *σὺ λέγεις ὅτι βασιλεύς εἰμι* Nonnus omittit. His autem verbis Christus confitetur se esse regem. Sic Matth. XXVI, 64 Dominus interrogatus, utrum filius Dei sit necne respondit: *σύ εἶπας,* cum Marc. XIV, 62 dicit: *ἐγώ εἰμι.* Verisimile igitur haud est his verbis indicari Dominum respondisse, Pilatum suo ipsius nomine dixisse Christum esse regem, sed ipsum hoc non affirmare[2]). Sed qua re ductus paraphrasta haec circumscribere omiserit, certum non est. Fortasse hoc consulto fecerit, ne quis Christum negare se esse regem male intellegeret, praesertim cum versibus, qui praecedunt, aperte jam eum esse regem declaraverit.

Deinde in hac pericope Nonnus per circuitionem explicat ea, quae de veritate apud Joannem leguntur. Utitur autem vocabulis *ἐτητυμίη, ἀληθείη, ἀτρεκίη,* ut veritatem significet. Quarum vocum *ἐτητυμίη* [3]) rarissima est neque usitatum est vocabulum *ἀτρεκίη* [4]). At verba Joannea: *ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας* singulari explicat significatione his verbis:

Par. XVIII, 178: *καὶ πᾶς, ὃς προβέβουλεν ἀληθείης ζυγὸν* [5]) *ἕλκειν.*

Itaque id, quod Joannes dicit: „is, cui amor veri inest", ideoque veritate ductus agit, recte explanat Nonnus: „is, qui elegit veritatis jugum trahere". Profecto verba: *ζυγὸν ἕλκειν* significare posse: „jugum trahere" negari non potest. Legitur enim apud Zenobium: „*ταὐτὸν ζυγὸν ἕλκειν*" i. e. „fortunae ejusdem socium esse" [6]). Sed verbum *ἕλκειν* cum voce *ζυγόν* conjungi non solet. Tamen contextui verborum recte

---

[1]) Jo. XVIII, 37 sq..

[2]) Cf. Matth. XXVI, 25; XXVII, 11; Marc. XV, 2; Luc. XXIII, 3; cf. Meyer's Kommentar zum N. Testament — 1, I Ev. Matth., Weiss, in XXVI, 25; cf. Chrysost. VII, II, p. 916 A in Matth. 86, M. P. G. LVIII, 763: *τοῦτο γοῦν καὶ ὁ Πιλάτος ἠρώτησε τότε. Τί οὖν ὁ Χριστός; Σὺ εἶπας. Ὡμολόγησεν εἶναι βασιλεύς.*

[3]) Cf. Jul. Aeg. 33 (IX, 771).

[4]) Cf. Hdt. IV, 152; VI, 1; 82; Pind. Ol. X, 17; Arr. An. VI, 25, 1.

[5]) In. Par. †.

[6]) Zenob. III, 43; cf. Aristaen. II, 7.

quadrat significatio jugi trahendi. Quamvis enim jugum trahere in labore positum sit, contra is, qui veritatis studiosus est, summo gaudio afficitur et trahitur voluptate, cum veritas sit *πανθελγής*[1]), i. e. omnia fascinetur. Nihil praeterea in ea non bonum faustum felix fortunatumque est[2]), praesertim autem Christi jugum suave est et onus ejus leve, ut Matthaeus dicit[3]). Ex quo patet Nonnum Matthaei evangelium cognovisse.

N. 51. Par. XIX, 1: *Αἰνομανῆ δὲ*
2: *ὄρχαμος ἀφραδέων στομάτων ἀλαλητὸν ἀκούων*
3: *ληιστὴν ἀνίμαστον, ἀδέσμιον ὤπασε λαῷ*
4: *καὶ ῥοπάλοις ἀχάρακτον· ἀμοιβαίησι δὲ ῥιπαῖς*
5: *ῥιγεδανῇ Χριστοῖο δέμας φοίνιξεν ἱμάσθλῃ,*

Nonnus de verberatione primum narrat Barabbam neque flagellis caesum neque fustibus percussum esse, deinde Christum flagris verberatum esse. Duo igitur sunt flagellandi modi, quos paraphrasta commemorat, alter, quo quis fustibus caeditur, alter, quo quis verberatur loris vel flagris. Castigatio autem prior infligitur aut lege Judaeorum[4]), aut more Romanorum militibus[5]) et obscuris hominibus. Fustibus percussum esse Barabbam negat Nonnus his verbis: *καὶ ῥοπάλοις*[6]) *ἀχάρακτον*[7]). Perinde altera flagellatione latronem flagellatum esse negat, Christum affirmat. Itaque Barabbam *ἀνίμαστον* vocat, sed Christi corpus Pilatus diro flagello cruentari jussit alternantibus ictibus: *ἀμοιβαίησι*[8]) *δὲ ῥιπαῖς*
ῥιγεδανῇ Χριστοῖο δέμας φοίνιξεν ἱμάσθλῃ[9]).

Praeter expectationem paraphrasta Christi flagellationem late non describit, contra Barabbam non esse verberatum narrat. Credo equidem Nonnum opposuisse Barabbam hominem et sceleratissimum nec verberatum ne fustigatione quidem minus cruenta Christo Domino et innocentissimo et flagellatione magis saeva flagellato,

---

[1]) Par. XVIII, 177. [2]) Cf. Par. VIII, 80 sqq.; XVII, 56 sqq..
[3]) Cf. Matth. XI, 30.
[4]) Cf. Deut. XXV, 2 sq.; II Cor. XI, 24.
[5]) Cf. Polyb. VI, 58, 1: *ξυλοκοπεῖν.* [7]) Cf. n. 90.
[6]) In Par. †.
[8]) Cf. Par. XIX, 15: *χερσὶν ἀμοιβαίησι παρηίδος ἄκρον ἀράσσαν,*
44: *ἀντίδοτον μύθοισιν ἀμοιβαίην πόρε φωνήν,*
XXI, 46: *ποσσὶν ἀμοιβαίοισιν ὀπίστερον ὤθεεν ὕδωρ,*
Dion. X, 343: *καὶ δέμας ἀλλήλων ἀνεκούφισαν ὑψόθι γαίης*
344: *χερσὶν ἀμοιβαίησι,* cf. Par. XVIII, 19: *δονάκεσσιν ἀμοιβαίοισι,* cet..
[9]) Cf. n. 89.

ut ipse praedixit discipulis se flagellatum in crucem subactum iri [1]). Evangelista autem paucis verbis enarrat: *Τότε οὖν ἔλαβεν ὁ Πειλᾶτος τὸν Ἰησοῦν καὶ ἐμαστίγωσεν* [2]).

Deinde Joannes prosequitur: *καὶ οἱ στρατιῶται πλέξαντες στέφανον* N. 52.
ἐξ ἀκανθῶν ἐπέθηκαν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ, καὶ ἱμάτιον πορφυροῦν περιέβαλον αὐτόν, καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτὸν καὶ ἔλεγον· χαῖρε ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων· καὶ ἐδίδοσαν αὐτῷ ῥαπίσματα [3]). Nonnus autem sic enarrat:

Par. XIX, 6: *καὶ στρατὸς ἀντιβίων* [4]) *φιλοκέρτομος εἶχεν Ἰησοῦν·*
7: *ὀξυτόμου δὲ κόρυμβα περιπλέξαντες ἀκάνθης*
8: *στέμμα νόθον βασιλῆος ἐκυκλώσαντο καρήνῳ·*
9: *καί μιν ἀνεχλαίνωσαν ἐπὶ χροῒ πέπλα βαλόντες*
10: *Σιδονίης στίλβοντα δοφῷ σπινθῆρι θαλάσσης,*
11: *σύμβολα κοιρανίης καὶ ἐν ἄλγεσιν· ἀμφιπαγῆ δὲ*
12: *γούνατα δοχμώσαντες ἐπὶ χθονὸς αὐχένι κυρτῷ*
13: *κοίρανον ἠσπάζοντο μιῇ ψευδήμονι κλήσει,*
14: *ἱκεσίης κήρυκι· καὶ ἤιεν ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ*
15: *χερσὶν ἀμοιβαίῃσι παρηίδος ἄκρον ἀράσσων.*

Coronam, quam milites Christi capiti imposuerunt, Nonnus dicit *στέμμα* [5]) et *στέφος* [6]), sc.

Par. XIX, 22: *καὶ στέφος ὀξυέθειρος ὁμόπλοκον εἶχεν ἀκάνθης.*

Στέμμα proprie est corona diis sacra [7]) sive infula; *στέφος* autem est vox poëtica idemque ab auctoribus orationis solutae dicitur *στέφανος*, quae vox in Paraphrasi non legitur scripta. Eadem corona spinis nectitur, quae dicuntur *ὀξύτομοι* [8]) i. e. „acuti" et *ὀξυέθειρες* [9]) i. e. „acutis crinibus praediti". Denique bis legitur verbum *στέφειν*, sc.

Par. VIII, 96: *υἱὸς ἐλευθερίοισι κόμην στέψειε πετήλοις,*

Par. XIX, 80: *κοίρανον αὐτοκέλευστον, ὃν οὐκ ἐστέψατο Ῥώμη.*

Voce *κόρυμβος* indicantur virgae sentis; praeterea rami fici [10])

---

[1]) Cf. Matth. XX, 19; Luc. XVIII, 33.

[2]) Jo. XIX, 1. [3]) Jo. XIX, 2 sq..

[4]) Nonnus vocabulo *ἀντίβιος* ut substantivo utitur sc. Par. XIII, 51; XVIII, 31; XIX, 6. Id ei singulare est. Etenim Homerus utitur semper vocabulis conjunctis: *ἀντιβίοις ἐπέεσσι*, Il. I, 304; Od. XVIII, 415; ceterum *ἀντιβίην* et *ἀντίβιον*. Alii quoque auctores semper adhibent vocem *ἀντίβιος* conjunctam cum substantivo.

[5]) In Par. †. [6]) In Par. †. [7]) Cf. Hom. Il. I, 14; 28: *στέμμα θεοῖο.*

[8]) In Par. †. [9]) In Par. †. [10]) Cf. Par. I, 196.

iidemque palmae [1]), vinearum sarmenta [2]). Cum his Paraphrasis de corona versibus comparari possunt

Dion. XLIV, 110: στέμματι δ' ὁλκαίῳ κεφαλὴν κυκλώσατο Κάδμου,
114: Ἁρμονίης ξανθοῖσι περιπλεχθεῖσα κορύμβοις.

Tum circumdant Christo laenam murice Tyrio tinctam

Par. XIX, 9: καί μιν ἀνεχλαίνωσαν ἐπὶ χροῒ πέπλα βαλόντες
10: Σιδονίης στίλβοντα σοφῷ [3]) σπινθῆρι θαλάσσης.

Quibuscum conferas

Par. XIX, 23: πορφυρέην τ' ἐσθῆτα διάβροχον αἵματι κόχλου.

Haec optime illustrantur e Dionysiacis, sc.

Dion. XL, 304: καὶ Τυρίῃ σκοπίαζε δεδευμένα φάρεα κόχλῳ
305: πορφυρέους [4]) σπινθῆρας ἀκοντίζοντα θαλάσσης,
XLV, 113: ὤνια Σιδονίης ἁλιπόρφυρα πέπλα θαλάσσης,
126: καὶ χροῒ δύσατο πέπλα φαάντερα κυκλάδος Ἠοῦς
127: ἄρτι χαρασσομένης, Τυρίῃ πεπαλαγμένα κόχλῳ,

praeterea Dion. XX, 101: χιτῶνα
102: Σιδονίης ἀκτῖνας ἀκοντίζοντα θαλάσσης.

Tam corona quam laena purpurea regis Christi insignia sunt, quamquam doloribus affectus est: καὶ ἐν ἄλγεσιν. Sic

Dion. XLVII, 314: ἦν δὲ φαεινοτέρη καὶ ἐν ἄλγεσι,

quo Ariadne, quamvis graviter afflicta, praefertur Veneri.

Postremo v. 11—15 Nonnus oculis subjicit, quomodo milites Christum illudant eumque adorent. Hanc autem προσκύνησιν a synopticis mutuatus est [5]). Toto hoc loco, excepta voce ἐῇ v. 13, codices praebere genuinam lectionem censeo, aliis viris doctis conjecturas alias vel expunctiones probantibus. Primum enim vocabulum κλῆσις [6]) i. e. appellatio, deorum imploratio [7]), maxime consentaneum est enarratae adorationi; nec mutanda esse mihi videntur verba: ψευδήμονι κλήσει in: ψευδήμονι μύθῳ, quod hae voces conjunctae bis in Paraphrasi occurrunt [8]). Fortasse tamen syllaba non producta ante mutam cum liquida: ψευδ῀ημ˘ον˘ι

[1]) Cf. Par. XII, 56; cf. 61: κορυμβοφόροιο κελεύθου.
[2]) Cf. Par. XV, 12; 23.
[3]) Cf. n. 92.
[4]) Cf. Hom. Il. I, 482; cet., de mari dictum.
[5]) Cf. Matth. XXVII, 29; Marc. XV, 19.
[6]) Anthol. VII, 628.
[7]) Menand. Rhet. p. 132, 10 Walz.
[8]) Cf. Par. XVIII, 122; XIX, 58; cf. Ludwich, Beitr. 111; 133.

κλήσει cogit, ut cum Scheindler[1]) vocem *φωνῇ* pro *κλήσει* admittamus. Correptio enim Attica Nonno inusitata est. Deinde nulla causa est, cur aut

v. 13: *κοίρανον ἠσπάζοντο ἑῇ ψευδήμονι κλήσει* [1]),

aut v. 13b: *ἑῇ ψευδήμονι κλήσει*

14a: *ἱκεσίης κήρυκι* [2]), expungamus. Nam aut sententiam detruncamus expungendo verbo *ἠσπάζοντο*, aut paraphrastam *παραφράζειν* nolumus. Verum hiatum: *ἠσπάζοντο ἑῇ* admitti nequit, cum syllaba ultima verbi *ἠσπάζοντο* neque producatur neque ictu feriatur. Quamobrem vocem *μιῇ* pono. Tiedke conjecerat *θεόν*.

Adorationem Nonnus et nostro loco et aliis fuse enarrat idque semper similibus fere verbis. Sic

Par. IV, 90: *αὐχένα δοχμώσαντο,*
95: *μάρτυρον ἱκεσίης κυρτούμενον αὐχένα κάμπτειν,*
96: *κύμβαχον ὀκλάζοντας,*
112: *ξυνὸν ὑποκλίνουσι λιτήσιον αὐχένα γαίῃ,*
113: *αὐχένα δοχμωθέντα καθελκομένοιο καρήνου,*
116: *ἀκροπαγῆ κάμπτουσι συνήορα γούνατα γαίῃ,*
118: *καὶ δαπέδῳ πρηνηδὸν ἐρειδομένοιο προσώπου,*
IX, 172: *κοίρανε, πιστεύω· κεφαλὴν δ' ἐπὶ γαῖαν ἐρείσας*
173: *καὶ ποσὶν ἀμβροσίοις κυρτούμενον αὐχένα κάμπτων*
174: *φαιδρὰ πολυρραφέων προσπτύξατο ταρσὰ πεδίλων.*

Haec omnia clara atque perspicua sunt. Etenim *ἀκροπαγῆ*[3]) significat summa genua in terra esse nisa et *ἀμφιπαγῆ*[4]) utrumque genu terrae adhaerere. Praeterea *ἀμφιπαγής* dicitur lapis, Lazari tumulum contegens, qui tantus est, quantum os specus[5]).

Versibus, qui sequuntur Par. XIX, 16—38[6]), pauca tantummodo animadvertenda sunt. De iis enim, quae ad Christum crucifigendum crucifixumque pertinent, postea dicam. N. 53.

Verba autem Joannea: *ἴδου ὁ ἄνθρωπος. ὅτε οὖν εἶδον αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ὑπηρέται, ἐκραύγασαν λέγοντες* [7]), sic Nonnus circumscribit:

---

[1]) Ita Scheindler, Quaestiones Nonnianae I, 27; sed in editionem suam hanc lectionem non accepit, cum totum versum 13 spurium esse ducit. Quamobrem conjecturam quoque *μιῇ* pro *ἑῇ*, quam proposuerat Quaest. Nonn. I, 27, non accepit.

[2]) Ita Hermann, Orph. 819.

[3]) Par. IV, 116 †.

[4]) Par. XIX, 11.

[5]) Par. XI, 136.

[6]) Cf. Jo. XIX, 4—7.

[7]) Jo. XIX, 5 sq..

Par. XIX, 25: ἠνίδε ποικιλόνωτος ἀναίτιος ἵσταται ἀνήρ.
26: καί μιν ἐσαθρήσαντες ἀθέσμιοι ἀρχιερῆες
27: καὶ βλοσυροὶ δρηστῆρες ἐπέβρεμον ἄσπετον ἠχώ.

Vox *ποικιλόνωτος* i. e. „*dorso versicolor*" a poëtis adhibetur de animalibus, ut de serpente apud Pindarum:

κτεῖνε μὲν γλαυκῶπα τέχναις *ποικιλόνωτον ὄφιν* [1]),

de dracone, de dorcade apud Euripidem [2]). Sed Nonnus hac voce utitur de nocturna coeli stellati veste

Par. VII, 67: μελαγκρήδεμνος ὀμίχλη,
68: καὶ χροΐ *ποικιλόνωτον ἐπισφίγξασα χιτῶνα*
69: ἀστερόεν σελάγιζε, idem autem coelum dicit Dion. II, 335: οὐρανὸν ἀστερόνωτον [3]). Unde loco laudato Christum dorso versicolorem nuncupat, propterea quod purpureum vestimentum obsoletum dorsum ejus contegit. Alludit igitur apud Nonnum Pilatus, misericordia Christi affectus, ad Domini regis fucati ludibrium.

Quod attinet ad versum 27, praefero lectionem: *ἄσπετον ἠχώ* lectioni: *ἄπλετον ἠχώ*, licet haec, cum codex Vaticanus eam exhibeat, improbari non possit. Sed illi, quae ceteris codicibus legitur scripta, praesidio est Q. Smyrnaeus, Nonni sectator: *ἐπέβρεμεν ἄσπετος αἰθήρ* [4]). Jam praeierat Lycophron: ἣ δ' *ἄσπετον χέασα παμμιγῆ βοήν* [5]). Etsi enim echo ineffabilis esse nequeat, tamen vox ejus magna esse possit, ita ut aut ferri aut intellegi non possit. Quamobrem conferri potest

Par. XIX, 55: λαοὶ δ' ἀντιάχησαν *ἀσιγήτου κλόνον ἠχοῦς*
56: νηρίθμοις στομάτεσσιν.

N. 54. Omisso vocabulo μᾶλλον apud Joannem scriptum: μᾶλλον ἐφοβήθη [6]), alteram Pilati interrogationem Nonnus circumscribit Par. XIX, 39—52 [7]). In hac pericope

Par. XIX, 49: καί οἱ Χριστὸς ἔλεξεν ἀγήνορα *κόμπον* ἐλέγχων,

codices ad unum omnes exhibent lectionem *κόσμον*. Ceterum verba: *κόσμος ἀγήνωρ* tantummodo Par. XV, 69 occurrunt. Contra Juvenis correxit *κόμπον* [8]). Quocum facere non dubito. Profecto obscurum est, potius explicari nequit, quomodo Nonnus

---

[1]) Pind. Pyth. IV, 444. [2]) Cf. Eur. I. T. 1245; Herc. fr. 376.
[3]) Cf. Dion. XX, 293: σάκος ἀστερόνωτον.
[4]) Q. Smyrn. XIV, 458. [6]) Jo. XIX, 8.
[5]) Lycophr. Al. 5. [7]) Cf. Jo. XIX, 8—11.
[8]) In Par. κόμπος occurrit VII, 88; VIII, 162.

loco laudato de mundo superbo sive de superbis hominibus loquatur. Solum enim Pilatum, arbitris remotis, Christus alloquitur, solos Pilatum et eum, qui se tradidit, peccati accusat. Sed si paraphrasta κόμπον scripsit, suo more animi affectum descripsit, maxime consentanea posuit, omnia clara et plana sunt.

In pericope Par. XIX, 53—87, circumscribitur Jo. XIX, 12—16, in eaque Christus mortis condemnatur; hic quinque mihi explananda suscepi. Evangelii verba: ἐκάθισεν ἐπὶ βήματος εἰς τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον, Ἑβραϊστὶ δὲ Γαββαθᾶ, explicantur sic: N. 55.

Par. XIX, 62: ἀγχιδόμῳ δ' ἐκάθητο λιθοστρώτῳ παρὰ χώρῳ,
63: οὔνομα τοῦτο φέροντι βοώμενον Ἑλλάδι φωνῇ,
64: οἷα λίθοις στρωτοῖσι τετυγμένῳ· ἐνδαπίῳ δὲ
65: Γαββαδὰ παφλάζοντι Σύρων κικλήσκετο μύθῳ.

Explanandum est autem his versibus primum, quid Nonnus senserit de loco, qui dicitur Λιθόστρωτος, deinde, utrum Christum an Pilatum pro tribunali sedentem inducat, denique, quarum linguarum scientia polluerit.

Joannes mentionem facit ὲt βήματος et Λιθοστρώτου conjungitque alterum cum particula ἐπί: ἐπὶ βήματος, alterum cum praepositione εἰς: εἰς τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον. Nonnus vero utitur praepositionibus παρά: λιθοστρώτῳ παρὰ χώρῳ, et v. 68 ἐπί: ἐπ' εὐλάιγγι θοώκῳ. Eum loqui tam de tribunali, qui dicitur Λιθόστρωτος, quam v. 68 de sella judicis, quae vocatur θόωκος [1]), in aperto est. Hujus tamen sellae v. 62—65, ubi locum Joannis XIX, 13 circumscribit, mentionem non facit. Haec autem sella lapidibus affabre exstructa est; est enim εὐλάιγξ. Particula παρά v. 62 non significat „apud", sed „in". Sedet enim Pilatus in loco, qui Gabbatha dicitur. Praeterea

Par. XIX, 149: ἔην παρὰ γείτονι χώρῳ
150: ὄξεος ἔμπλεον ἄγγος, „in loco proximo" certo significat [2]). Verum cum particulae vis latius extendatur quam Batavorum lingua praepositio „bij", hoc mirum esse non potest. Significat enim παρά τινι: „alicui loco esse vicinum", neque tamen prohibet, quominus usurpetur de eo, quod in aliquo loco versatur [3]). Accedit, quod verba sedendi jubendique sedere

---

[1]) Par. XIX, 68 †; θῶκος II, 76; VI, 191.

[2]) Cf Par. IV, 90; VI 87; IX, 38; X, 10; XIX, 213; XXI, 20.

[3]) Tacitus saepe utitur voce „apud" pro „in", ut Hist. I, 5: apud urbem Nolam; 34: apud Germanias.

graeci auctores cum illa particula haud raro conjungunt. Loquitur igitur Nonnus et de tribunali et de sella judicis pro tribunali posita. Attamen Joannes v. 13 voce τὸ βῆμα tribunal, quod est pars loci lapidibus strati sive τοῦ Λιθοστρώτου, non autem judicis sellam indicare videtur.

Deinde, utrum Christus an Pilatus sederit pro tribunali, dijudicatur verbis v. 62: ἐκάθητο et v. 69: ἵσταται. Etenim primum de Pilato, alterum de Christo dicitur. Non igitur Nonnus facit cum Westcott, Harnack, Loisy, qui putant evangelii verbi ἐκάθισεν objectum esse Christum omissumque esse vocabulum αὐτόν, id quod illi perhibent evangelio Petri et Justino innixi. Alterum enim dicit: καὶ πορφύραν αὐτὸν περιέβαλλον καὶ ἐκάθισαν αὐτὸν ἐπὶ καθέδραν κρίσεως[1]), alter: διασύροντες αὐτὸν ἐκάθισαν ἐπὶ βήματος[2]). Sed uterque de militum ludificatione loquitur.

N. 56. Linguae, quarum Nonnus mentionem facit, sunt tres: Latina, Hebraica, Graeca. Sermonem latinum dicit Thymbriadem, Ausonium, Latinum, sc. Par. XVIII, 21: Θυμβριὰς[3]) αὐδή, XIX, 102: Λατινίδι[4]) ἰωῇ, XIX, 109: Αὐσονίῃ[5]) γλώσσῃ. Primo loco Joannes de sermone latino non loquitur; altero rursus se latine loqui non commemorat; tertio utitur vocabulo Ῥωμαϊστί[6]). De populo Romano evangelium loquitur XI, 48: οἱ Ῥωμαῖοι, quod Nonnus vertit Par. XI, 196: ἀνέρες Αὐσονιῆες[7]). Vocabulis a Nonno adhibitis ad populum Romanum ejusque linguam designandam patet eum varietate et antiquitate delectatum esse more poëtarum, qui ejus temporibus floruerunt. Etenim vox Θυμβριάς[8]) pertinet ad Tiberim fluvium eademque occurrit apud Christodorum pro Romano[9]). Αὐσονιῆες, Αὐσόνιος sunt nomina ducta ab antiqua quadam Italiae gente[10]). Λατινίς vocabulum a Latio ducitur. Ceterum Nonnus solus idque semel de urbe Roma loquitur[11])

---

[1]) Ev. Petri, 7.
[2]) Just. Ap. I, 35.
[3]) In Par. †.
[4]) In Par. †.
[5]) In Par. †.
[6]) Jo. XIX, 20.
[7]) In Par. †.
[8]) Cf. Verg. Aen. VII, 151: Thybrim fluvium.
[9]) Christod. Ecphr. 416, Anth. app. 51, 1.
[10]) Cf. Strab. V, p. 232 in fine: τὴν δὲ συνεχῆ ταύτῃ πρότερον Αὔσονες ᾤκουν, Apollod. I, 9, 24: Αὐσόνια, apud Liv., Verg., Ovid., Martial. Ausones, Ausonia, Ausonis, Ausonius leguntur.
[11]) Par. XIX, 80 †.

idemque de Caesare principe, addito nomine proprio Tiberio[1]). Alia nomina propria latina in Paraphrasi non occurrunt nisi nomina Pilati et Tiberiadis, quam urbem Herodes Antipas cognomine Tiberii principis vocavit[2]). Quod ad metrum attinet, maxime singulare esse videtur a Nonno primam et secundam nominis Pilati syllabam semper corripi, sc. undevicies; primam Lactantius quoque corripit[3]). Contra metri causa primam nominis Tiberii syllabam producit Par. XIX, 59: Καίσαρι Τιβερίῳ, salva correptione in voce Τιβερηίς.

Denique in Paraphrasi leguntur nomina σουδάριον, τίτλος, λίντεον, δηνάριον. Ex eo, quod de primo vocabulo Nonnus dicit, demonstratur eum latinam linguam nesciisse. Legitur

Par. XI, 173: σουδάριον τόπερ εἶπε Σύρων στόμα,
Par. XX, 30: σουδάριον τόπερ εἶπε Σύρων ἐπιδήμιος αὐδή.

Itaque putavit vocem σουδάριον esse hebraicam. Praeterea litteram α corripit, ductus vocabulis diminutivis graecis in —άριον, ut παιδάριον. Σουδάριον autem Pollucis jam temporibus usitatum erat apud graecos, quippe cum dicat: καψιδρώτιον καλούμενον, ὃ νῦν σουδάριον ὀνομάζεται[4]). Τίτλος et λίντεον nomina esse latina agnovit affirmavitque

Par. XIX, 102: γράμμα, τόπερ καλέουσι Λατινίδι τίτλον[5]) ἰωῇ,
Par. XIII, 21: τόπερ φάτο Θυμβριὰς αὐδὴ
22: λίντεον[6]). Vocabulum τίτλος apud auctores graecos, qui ante Nonnum fuerunt, non occurrit, λέντεον legitur apud Arrianum[7]). Δηνάριον, cujus vocis α corripitur, sicut de voce σουδάριον dictum est, nummus Romanus est, qui in omnium usu versabatur[8]). Postremo evangelista utitur vocabulis πραιτώριον[9]) et φραγέλλιον[10]), quae sunt latina; haec nomina Nonnus mutavit in graeca[11]).

Judaeorum populum Joannes vocat Ἰουδαίους[12]), Ἰσραηλίτας[13]), Ἰσραήλ[14]), Nonnus Ἰουδαίους, Ἑβραίους, Ἰσραήλ. N. 57.

[1]) Par. XIX, 59 †.
[2]) Τιβερηίς occurrit Par. VI, 1: ἅλμη, VI, 84: πέτρα, VI, 94: ἀκτή, XXI, 2; 80: ἅλμη.
[3]) Lact. Pass. Chr. 35.
[4]) Poll. VII, 1.
[5]) Praeterea Par. XIX, 106.
[6]) In Par. †.
[7]) Arr. Peripl. m. rubr. 4.
[8]) Par. VI, 20; XII, 20.
[9]) Jo. XVIII, 28; 28; 33, XIX; 9.
[10]) Jo. II, 15.
[11]) Cf. n. 32 et n. 89.
[12]) Jo. I, 19 cet.; septuagies semel.
[13]) Jo. I, 48 †.
[14]) Jo. I, 31 cet.; quater.

Gentium, quae Palestinam colunt earumque regionem commemorat *Γαλιλαίους*[1]), *Γαλιλαίαν*[2]), tum *Σαμαρείτας*,[3]) *Σαμάρειαν*[4]), denique *Ἰουδαίους*, *Ἰουδαίαν*[5]). Qua in re Joannem sequitur. *Ἰσραήλ* in Paraphrasi legitur quinquies[6]) idque iisdem locis, quibus in evangelio, sed pro Jo. I, 48: *Ἰσραηλίτης* dicitur Par. I, 189: *Ἰσραὴλ γόνος*, et Jo. XII, 13: *ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ* in Paraphrasi deest. His autem vocibus *Ἰσραήλ*, *Ἰσραηλίτης* electus Dei populus indicatur. Quod attinet ad nomen *Ἑβραῖος*[7]), hoc Joannes non habet. Nomine autem *Ἰουδαῖος*[8]) in evangelio designantur ii, qui ad gentem Judaicam pertinent et in Judaea habitant. Sed Nonnus promiscue eos *Ἰουδαίους* et *Ἑβραίους* dicit.

Sermo Judaeorum patrius, quem evangelium voce *Ἑβραϊστί* indicat, a Nonno dicitur *Σύρων στόμα*, *μῦθος*, *γλῶσση*. Jam notavi paraphrastam nomen *σουδάριον* pro voce hebraica habere. Praeterea ter linguae judaicae mentionem facit, sc.

Par. XIX, 64: *ἐνδαπίῳ δὲ*
65: *Γαββαδὰ παφλάζοντι Σύρων κικλήσκετο μύθῳ,*
91: *Γολγοθὰ τὸν καλέεσκε Σύρων στόμα,*
109: *Αὐσονίῃ γλώσσῃ τε Σύρων καὶ Ἀχαΐδι φωνῇ.*

His locis Joannes *Ἑβραϊστί* habet[9]). Praeterea Jo. V, 2 legitur *Ἑβραϊστί*, ubi a Nonno lingua non indicatur. Animadvertendum est autem a paraphrasta sermonis Judaeorum indolem et proprietatem indicari verbo *παφλάζειν*, sc.

Par. VIII, 141: *καὶ θρασὺς Ἑβραίων ἐπέπαφλασε λαὸς ἀκούων,*
XIX, 65: *Γαββαδὰ παφλάζοντι Σύρων κικλήσκετο μύθῳ.*

Παφλάζειν autem proprie significat „bullulas sublime jacere, bullire"[10]). Itaque hoc verbum, de lingua dictum, significat „strepere, fremere"[11]).

---

[1]) Par. I, 170 cet.. [2]) Par. II, 3 cet.. [3]) Par. IV, 41 cet.; *Σαμαρεῖτις* IV, 14 cet.. [4]) Par. IV, 11 †. [5]) Par. IV, 251 cet.. [6]) Par. I, 110; 189; 201; 203; III, 50. [7]) Par. I, 61 cet.. [8]) Par. I, 158 cet.. [9]) Jo. XIX, 13; 17; 20.

[10]) Cf. Bekker, An. 60: *ψευδεῖς καὶ ἀλαζόνες λόγοι καὶ ἀναζέοντες ὥσπερ ἐκ πυρός*, quibus verbis *πάφλασμα* indicatur;

Arist. Av. 1243: *ἄκουσον αὕτη· παῦε τῶν παφλασμάτων,*
Eq. 919: *ἀνὴρ παφλάζει, παῦε παῦ' ὑπερζέων,*
Pax 313: *εὐλαβεῖσθε νυν ἐκεῖνον τὸν κάτωθεν Κέρβερον,*
314: *μὴ παφλάζων καὶ κεκραγώς, ὥσπερ ἡνίκ' ἐνθάδ' ἦν,*
315: *ἐμποδὼν ἡμῖν γένηται τὴν θεὸν μὴ 'ξελκύσαι.*

[11]) Cf. Par. I, 92: *προφήτης*
93: *πνεύματι παφλάζων θεοδινέος ἔγκυος ὀμφῆς,*
ubi verbum significat spiritu „fervens"; cf. Dion. I, 237.

Nominibus propriis iisdem fere utitur Nonnus ac Joannes. Omittuntur, sive mutantur in adjectiva, nomina *Αἰνών, Ἀριμαθαία, Βηθεσδά, Ἰορδάνης* [1], *Ἱεροσολυμῖται, Ἰσραηλίτης, Ἰωνᾶς* [2], *Κανᾶ* [3], *Κλωπᾶς, Ναζωραῖος* [4]. Contra apud Nonnum commemorantur *Ἀδάμ, Θεσβῖτις, Ἰάκωβος* consanguineus Judae Thaddaei. Nominis *Μαρίη* altera syllaba mirum in modum semper corripitur. Cetera vocabula Hebraea, quae leguntur in evangelio, Nonnus quoque adhibet, sc.: *πάσχα, ἀμήν, μάννα, ῥαββίν, ῥαββουνί, σάββατον,* exceptis vocibus *σατανᾶς* Jo. XIII, 27, ubi Par. XIII, 115 *δαίμων* legitur, et *ὡσαννά* Jo. XII, 13, quo loco in Paraphrasi lacuna est. Praeterea Par. XIX, 66 et 226 pro voce *παρασκευή* legitur *προσάββατος ἠώς* [5], quod nomen *προσάββατος* sumptum est ex evangelio Marci [6].

Graecorum lingua in Paraphrasi vocatur *Ἑλλάς* [7], *Ἀχαΐς* [8]. N. 58.
Posteriore loco evangelium rectius dicit *Ἑλληνιστί* [9], prioribus locis linguam non indicat. Ipsos Graecos Nonnus nominat *Ἑλλήνια τέκνα* [10], *Ἕλληνας* [11], *Πανέλληνας* [12], Joannes *Ἕλληνας* [13]. Praeterea utitur nominibus mythologicis graecis *Ἀίδης, Αἰών, Λήθη,* geographicis *Ἐρυθραῖος* [14], *Ἰνδῷος* [15], *Σιδόνιος* [16]. His utitur, ut indicet antiquorum poëtarum more aloës et muricis originem atque pretium.

Ἄιδου mentio fit

Par. II, 104: *ἀλλ' ὅτε δὴ μετὰ κόλπον ἀνοστήτοιο βερέθρου*
105: *νόστιμος ἐξ Ἀίδαο παλινζώῳ τινὶ πότμῳ*
106: *ἀρχαίην παλίνορσος ἑὴν ἀνεδύσατο τιμὴν*
107: *οὐρανίην,*

XI, 22: *ὅτι Λάζαρος Ἄϊδι νεύων*
23: *κέκλιτο νουσαλέῳ πεπεδημένος ἅψεα δεσμῷ,*

---

[1] *Ἰορδάνιος* Par. I, 101; X, 141. [2] *Ἰωάννης* Par. XXI, 84 cet..
[3] *Κανανιαῖος* Par. II, 3 cet..
[4] Jo. XVIII, 5; 7. Nonnus dicit: *Ναζαρὲθ ναέτης* Par. XVIII, 30; 42; 44. Praeterea bis utitur nomine *Ναζαρέθ* sc. Par. I, 183; 185 iisdem, quibus Joannes, locis. Singulari modo adhibet genitivum *Ναζαρέθ* pro *ἐκ Ναζαρέθ*, Jo. I, 47. Mirum in modum alteram syllabam producit: *Νᾱζᾱρέθ*.
[5] Par XIX, 66 additur etiam *ἕκτη*.
[6] Marc. XV, 42.
[7] Par. I, 158; XIX, 63.
[8] Par. XIX, 109 †.
[9] Jo. XIX, 20 †.
[10] Par. VII, 135 †.
[11] Par. XII, 84 †.
[12] Par. VII, 134 †.
[13] Jo. VII, 35; 35; XII, 20.
[14] Par. XIX, 206 †.
[15] Par. XIX, 207 †.
[16] Par. XIX, 10 †.

162: ἄπνοον ἄνδρα κάλεσσε, καὶ ἐν φθιμένοισιν ἀκούσας
163: ἐξ Ἀΐδος νόστησε φυγὰς νέκυς ὄψιμον ἄλλην
164: ἀθρήσας μετὰ τέρμα βίου παλινάγρετον ἀρχὴν
165: θαμβαλέην. Ἀΐδης δὲ μάτην παρὰ γείτονι Λήθῃ [1])
166: πανδαμάτωρ ἀδάμαστον ἐδίζετο νεκρὸν ἀλήτην.

Hades igitur Nonno est rex ejus loci, quo mortui apud inferos versantur, imo Par. XI, 22 idem ipse locus est atque βέρεθρον. Quin etiam Par. XI, 165 sq. Hadem deum quendam esse vel regem apud inferos late regnantem animo fingit Nonnus, Lethes fluvii, qui per ejus regnum fluit, non immemor [2]). Itaque servavit memoriam atque imaginem inferorum Nonnus christianus, quali ethnicus fuerat imbutus. Verum, utrum inferos revera tales esse cogitaverit an more poëtarum tantum tales esse finxerit, dijudicare non ausim.

Αἰών in Paraphrasi commemoratur

Par VI, 178: ἕως δολιχοῖο γενείου
179: ἀμφιλαφὴς πολιῇσι κόμην λευκαίνεται Αἰών.

His versibus Aevum fingitur esse senex canis capillis et bene barbatus. Sic legitur

Dion. VII, 9: καὶ Διὶ παμμεδέοντι δυηπαθέων γένος ἀνδρῶν
10: ἄμμορον εὐφροσύνης ἐπεδείκνυε σύντροφος Αἰών [3]).

Ceteris locis, ubi vox αἰών occurrit, nomen proprium non est [4]).

N. 59. Qua die Christus condemnatus et crucifixus sit, clare designat Nonnus his versibus:

Par. XIX, 66: ἕκτη δ', ἣν ἐνέπουσι, προσάββατος ἔτρεχεν ἠώς,
225: ὄττι παρ' Ἑβραίοισι φυλασσομένης δρόμον ὥρης
226: γείτονα νύκτα φέρουσα προσάββατος ἔτρεχεν ἠώς.

Primum enim sexta hebdomadis dies fuit, i. e. dies, qui sabbatum praecedit, προσάββατος. Σάββατον quoque aliquoties diem septimum appellat, ut

Par. XIX, 167: μὴ καὶ ἐπὶ σταυροῖο πεπηγότα σώματα μίμνῃ,
168: ἕβδομον ὁππότε φέγγος ἐλεύσεται [5]), ubi Jo. XIX, 31 habet: ἐν τῷ σαββάτῳ. Praeterea paraphrasta diem sabbati illam,

---

[1]) In Par. †. [2]) Cf. K. Kuiper, o. l., p. 378 sq..

[3]) Cf. Q. Smyrn. XII, 194; Philo Bibl. ap. Eus. Praep. ev. I, 10; Roscher, s.v. *Αἰών*, cf. K. Kuiper, o. l., p. 351 [1]).

[4]) Cf. Par. I, 191 cet..

[5]) Cf. Par. VII, 84; IX, 70; 80; praeterea vox *σάββατον* legitur Par. V, 35; 59; VII, 90; XX, 1.

quam Parasceves dies praecessit, primam Paschatis diem fuisse clare indicat

Par. XIX, 161: καὶ ζαμενεῖς ἱερῆες, ἐπεὶ περὶ δείελον ὥρην
162: ἔστιχε μηλοφάγοιο προάγγελον ἦμαρ ἑορτῆς.

Postquam igitur circa meridiem processit Parasceve, vespere adveniente, incipit dies festus, quo ovibus vescuntur Judaei. Idem indicatur Par. XIX, 168: ἦν γὰρ ἐκείνη
169: πᾶσιν Ἰουδαίοισιν ἀθέσφατος ἔννομος ἠώς
170: φέγγεος ἑβδομάτοιο, τόπερ δεδάασι γεραίρειν,

quibus versibus circumscribitur Jo. XIX, 31: ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου.

Tempus porro, quo Pilatus Christum condemnavit, apud Nonnum fuit hora tertia sc.

Par. XIX, 67: ἦν δὲ τιταινομένη τριτάτη θανατηφόρος ὥρη.

In evangelii codicibus plurimis legitur Jo. XIX, 14: ὥρα ἦν ὡς ἕκτη, sed h[r] exhibet lectionem τρίτη, quam Nonnus secutus est. A quaestione dirimenda, utra lectio praeferenda sit, ut temporum descriptiones Joannis cum Marc. XV, 25: ἦν δὲ ὥρα τρίτη quadrent, desisto. Etenim de hac quaestione Nonnus quoque tacet. Hoc unum addo Asianos alio modo ac Romanos, Graecos, Judaeos, i. e. a solis ortu usque ad ejus occasum, horas diei computasse sc. a media nocte in mediam noctem e Plinio Jun. effici non posse. In hac autem sententia sunt Belser cet., quos sequitur Groenen [1]). Nam Plinii Jun. avunculus Plinius Maj. „lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causa sed studendi, statim a nocte multa, hieme vero ab hora septima, vel, cum tardissime, octava, saepe sexta" [2]), i. e. hora septima noctis sc. hora fere prima nocturna, si nostram temporum descriptionem sequeris. Quod apparet ex iis, quae sequuntur: „Erat sane somni paratissimi, nonnumquam etiam inter ipsa studia instantis et deserentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum imperatorem (nam ille quoque noctibus utebatur)" [3]). „Surgebat aestate a cena luce, hieme intra primam noctis" [4]), i. e. hora fere septima diei, ita ut hieme dormiret ab hora septima postmeridiana usque ad horam fere primam noctis i. e. per sex horas continuas. Quod attinet ad vocem δείελος [5]), haec indicat tempus, quod est a meridie usque ad vesperam.

[1]) Cf. P. G. Groenen, Het lijden en sterven van O. H. Jezus Christus, p. 391 sq..
[2]) Plin. Ep. III, 5, 8.
[3]) Plin. Ep. III, 5. 8 sq..
[4]) Plin. Ep. III, 5, 13; cf. totam epistolam.
[5]) Par. XIX, 161; 202.

N. 60. Attendendum est denique ad

Par. XIX, 84: *καὶ θανάτῳ χαίροντες ἀναιδέες ἀρχιερῆες*
85: *Ἰησοῦν ἐδέχοντο θελήμονες· ὠκύμοροι δὲ*
86: *ἀθανάτου Χριστοῖο βροτοὶ γεγάασι φονῆες*
87: *πάντες ὁμοῦ.*

His enim versibus plura contraria contrariis opponuntur, sed praesertim homines mortales, qui *ὠκύμοροι βροτοί* dicuntur, immortalis Christi sc. *ἀθανάτου Χριστοῖο* homicidas esse. Hi autem homines sunt omnes simul pontifices. Nam, cur Nonnum de omnibus simul hominibus, i. e. de toto genere humano loqui putemus, non est. Praeterea omnem fere Christi condemnati culpam paraphrasta in pontifices praecipue confert, in Judam ceterosque Judaeos. Idem autem faciunt Ecclesiae Patres, Judaeos Christi homicidas nuncupantes [1]).

N. 61. Jesus, postquam capitis damnatus est, intrepidus ad mortem progreditur, crucem bajulans,

Par. XIX, 89: *εἰσόκε χῶρον ἵκανε φατιζομένοιο Κρανείου,*
90: *Ἀδὰμ πρωτογόνοιο φερώνυμον* [2]) *ἄντυγι κόρσης,*
91: *Γολγοθὰ τὸν καλέεσκε Σύρων στόμα.*

Nonnus, evangelium secutus, locum, ubi Christus crucifixus est, vocat *Γολγοθά, Κράνειον* i. e. Calvariam, Calvam [3]). Hoc nomen explicare conatus est ex Adami primogeniti vertice capitis sive calva, a qua nomen accepit [4]). Novit igitur fabulam perantiquam, quae narrat Adami calvam in loco, quo Christus crucifixus est, esse sepultam. Noverunt eam Epiphanius [5]) et Origenes [6]), quorum hic saeculo tertio, ille quarto saeculo p. Ch. n. floruit. Sed liber, cui titulus: „Vita Adami et Evae" eam ignorat. Praeterea locum Calvariae collem fuisse tradit

Par. XIX, 106: *τίτλον ἰδών, ὅτι χῶρος ἔην λόφος ἄστεϊ γείτων,*
213: *ἦν δέ τις αὐτόθι κῆπος ἀερσιλόφῳ παρὰ χώρῳ.*

Evangelium autem Calvariam *τόπον* tantummodo dicit [7]).

---

[1]) Cf. M. P. G. LIX, 460; LXXIV, 633; passim. Aliter de his Par. versibus judicat K. Kuiper o. l. p. 348.

[2]) In Par. †; cf.
Dion. VIII, 75: *κύκλος ἀερσιλόφοιο φερώνυμος Ἀρκάδος Ἄρκτου.*

[3]) Cf. Arist. H. A. II, 75: *τριχωτὸν κεφαλῆς μέρος*, i. e. *κρᾶνον.*

[4]) Cf. K. Kuiper, o. l., p. 397 sq..

[5]) Cf. M. P. G. XLI, 844; cf. LIX, 459. [6]) Cf. M. P. G. XIII, 1777.

[7]) Cf. Io. XIX, 17; 20; 41.

Loci Paraphrasis, quibus agitur de Christi supplicio, frequentes et maxime notabiles sunt. Quare primum eos perscribendos esse censeo. N. 62.

Par. XIX, 28: *σταυρῷ σύμπλοκος οὗτος, ἐπήορος*[1]), *ὄρθιος ἔστω*
29: *καὶ ποσὶ καὶ παλάμῃσι σιδήρεα κέντρα κομίζων*[2]).
31: *ὑμεῖς τετραπόρῳ σφηκώσατε τοῦτον ὀλέθρῳ*[3]).
47: *ἀμφότερον γάρ,*
48: *καὶ σταυρῷ δαμάσαιμι καί, ἢν ἐθέλω, σε μεθήσω*[4]).
72: *τοῦτον ἑλὼν σταύρωσον ἐλεγχίστῳ τινὶ πότμῳ·*
73: *ὄρθιος οὗτος ὄλοιτο σιδηροφόρων ἀπὸ γόμφων*
74: *δουρατέου θανάτοιο ταθεὶς τετράζυγι δεσμῷ*[5]).
76: *δούρασι γομφοτόμοισιν ἐγὼ γομφωτὸν ἐάσας*
77: *κοίρανον ὑμείων ὀλέσω ποινήτορι πότμῳ*[6]);
87: *καὶ σταυρὸν ἔχων ἑὸν αὐτὸς Ἰησοῦς*[7]).
92: *εἰς δόρυ τετράπλευρον ἐπήορον ὑψόθι γαίης*
93: *ὄρθιον ἐξετάνυσσαν, ἐπισφίγξαντες ἀνάγκῃ*
94: *πεπταμένας ἑκάτερθε σιδηρείῳ τινὶ δεσμῷ*
95: *χεῖρας, ὁμοτρήτοισι πεπαρμένον ἄζυγι γόμφῳ*
96: *διπλόον ἕλκος ἔχοντα, μιῇ τετορημένον ὁρμῇ*
97: *ποσσὶν ὁμοπλεκέεσσιν, ἀκαμπέα δεσμὸν ὀλέθρου.*
98: *κέντροις δ' ἀντιτύποισιν ἐπὶ σταυροῖο δεθέντας*
99: *νυκτιλόχους δύο φῶτας ἑνὶ ξύνωσαν ὀλέθρῳ*[8]).
107: *ὁππόθι μιν σταυροῖο συνεκλήισσαν ὀχῆι*[9]).
115: *ὑψιφανῆ δὲ*
116: *Ἰησοῦν ἀτίνακτον ὑποδρηστῆρες ὀλέθρου*
117: *ἐκταδὸν ὀρθώσαντες ἐπὶ σταυροῖο δεθέντα*[10]).
134: *ἐγγύθι δὲ σταυροῖο*[11]).
167: *μὴ καὶ ἐπὶ σταυροῖο πεπηγότα σώματα μίμνῃ*[12]).

---

[1]) Cf. n. 93. [2]) Jo. XIX, 6: *σταύρωσον, σταύρωσον.*
[3]) Jo. XIX, 6: *λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ σταυρώσατε.*
[4]) Jo. XIX, 10: *ἐξουσίαν ἔχω ἀπολῦσαι σε καὶ ἐξουσίαν ἔχω σταυρῶσαί σε.*
[5]) Jo. XIX, 15: *ἆρον, ἆρον, σταύρωσον αὐτόν.*
[6]) Jo. XIX, 15: *τὸν βασιλέα ὑμῶν σταυρώσω;*
[7]) Jo. XIX, 17: *βαστάζων ἑαυτῷ τὸν σταυρόν.* Quae praecedunt v. 16: *ἵνα-σταυρωθῇ* Nonnus circumscribit mentione crucis non facta.
[8]) Jo. XIX, 18: *ὅπου αὐτὸν ἐσταύρωσαν καὶ μετ' αὐτοῦ ἄλλους δύο.*
[9]) Jo. XIX, 20: *ὅπου ἐσταυρώθη ὁ Ἰησοῦς.*
[10]) Jo. XIX, 23: *ὅτε ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν.*
[11]) Jo. XIX, 25: *παρὰ τῷ σταυρῷ.*
[12]) Jo. XIX, 31: *ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τὰ σώματα.*

171: ὑψιτενῆ δὲ
172: πρώτου μὲν διέτεμνεν ἀλοιητῆρι σιδήρῳ
173: μειλιχίου πόδα δισσόν· ἐπὶ σταυρῷ δὲ δεθέντος, cet. [1]).

177: οὐ πόδας ἠλοίησαν ὁμόζυγας ἠθάδι χαλκῷ [2]).

200: ἐγγύθι δὲ σταυροῖο πεπηγμένον ἄκρον ἐρύσσας
201: δίζυγα δεσμὸν ἔλυσεν ἀκαχμένον ὀξέι χαλκῷ
202: καὶ νέκυν ἑστηῶτα κατήγαγε δείελος ἀνήρ [3]).

214: Χριστὸν ὅπῃ σταυροῖο συνεκλήισσαν ὀχῆι [4]).

XX, 90: δεῖξε πόδας καὶ χεῖρας ὁμηγερέεσσι μαθηταῖς
91: ἠλοτύπους πλευρήν τε νεούτατον [5]).

110: εἰ μὴ χεῖρας ἴδοιμι βαθυνόμενόν τε σιδήρῳ
111: πήξω δάκτυλον ἄκρον ἐς ὀξυτόρων τύπον ἥλων [6]).

124: δός μοι δεῦρο, πέπον, σέο δάκτυλον, ὄφρα πελάσσω
125: μάρτυν ἀναμφήριστον ἐς ὀξυτόρων τύπον ἥλων.
126: καὶ παλάμας ἑκάτερθεν ἐμὰς ἴδε [7]).

Inquirendum est primum de vero verborum textu. Haud secus enim atque in aliis Paraphrasis partibus lectionem Scheindlerianam laudatis versibus secutus sum. Sed de correctionibus et conjecturis quibusdam quaedam animadvertenda sunt.

V. 76 verbum ἐλάσας, ut exhibent codices, metro pugnat, ἐλάσσας autem, quod primus Stephanus scripsit, vix defendi potest. Licet enim hic versus

Par. XIX, 76: δούρασι γομφοτόμοισιν ἐγὼ γομφωτὸν ἐλάσσας

admoneat Hesiodi Theog. 521 sq.:

δῆσε δ' ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθέα ποικιλόβουλον
δεσμοῖς ἀργαλέοισι μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας,

tamen structura verborum dissimilis est et apud Nonnum participium γομφωτόν admirationem facit conjunctam cum verbo

[1]) Jo. XIX, 32: τοῦ μὲν πρώτου κατέαξαν τὰ σκέλη καὶ τοῦ ἄλλου τοῦ συνσταυρωθέντος αὐτῷ.

[2]) Jo. XIX, 33: οὐ κατέαξαν αὐτοῦ τὰ σκέλη.

[3]) Jo. XIX, 38: ἦρεν τὸ σῶμα αὐτοῦ.

[4]) Jo. XIX, 41: ὅπου ἐσταυρώθη.

[5]) Jo. XX, 20: ἔδειξεν καὶ τὰς χεῖρας καὶ τὴν πλευρὰν αὐτοῖς, sed vocabulum πόδας inseruit Nonnus.

[6]) Jo. XX, 25: ἐὰν μὴ ἴδω ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸν τύπον τῶν ἥλων καὶ βάλω μου τὸν δάκτυλον εἰς τὸν τόπον τῶν ἥλων.

[7]) Jo. XX, 27: φέρε τὸν δάκτυλόν σου ὧδε καὶ ἴδε τὰς χεῖράς μου.

ἐλάσσας. Contra ἐάσας vox cum participio conjuncta in Paraphrasi legitur

Par. IV, 193: οὔασι πειθομένοισι πεπηγότα μῦθον ἐάσας,

et cum adjectivo ἀφύλακτος, quod participio fere simile est

Par. X, 43: ὀξὺς ἐάσας

44: βοσκομένων ἀφύλακτα πολύπλανα πώεα μήλων,

et Par. XIX, 56: ἀπήμονα τοῦτον ἐάσας. At vocabulum ἐλάσας[1]) — nam ἐλάσσας in Paraphrasi non occurrit — non participium conjunctum sed objectum tantummodo habet. Praeterea ἐάσας persaepe in Paraphrasi legitur idque semper in fine versus. Itaque cum Tiedke ἐάσας legendum est.

V. 95 codex V exhibet lectionem ὁμοτρήτοιο[2]), ceteri habent ὁμοτρήτῳ δέ, Scheindler conjecit et in textum recepit ὁμοτρήτοισι. Lectionem ὁμοτρήτοιο structuram et compositionem verborum dissolvere manifestum est. Altera lectio ὁμοτρήτῳ δέ cum voce γόμφῳ conjungi nequit, cum clavus „simul perterebratus" esse non possit, neque simplex clavus i. e. ἄζυξ γόμφος „simul cum alio clavo perterebrans". Sed ὁμοτρήτοισι optime quadrat voci ποσσίν in v. 97.

V. 96 codicum lectio ἦτορ, i. e. „cor", explicari non potest. Vox ἔστορ', quae conjectura Köchlii est, ob elisionem Ludwich recte rejecit[3]). Contra vocabulum ἕλκος, vulnus, quod Tiedke conjecit, Scheindler in textum recepit, totum verborum contextum planum facit.

Quod ad structuram verborum v. 92—97 attinet, accusativi πεπαρμένον, ἔχοντα, τετορημένον pertinent ad objectum (αὐτόν i. e. Christum) verbi ἐξετάνυσσαν. Nihil autem obstat, quod, ubi de manuum transfixione agitur, constructio transitiva sc. ἐπισφίγξαντες praecedit. Itaque „extenderunt (Jesum)... pedibus simul perforatis et conjunctis uno clavo transfixum, duplex (tamen) vulnus habentem, uno ictu transfossum, (id quod erat) inflexibile vinculum perniciei", sc. ita ut fieri non posset, quin periret. Accusativus enim ἀκαμπέα δεσμόν est appositio, quae grammatice convenit cum casu objecti, sed logice pertinet ad totam actionem. Optime conferri potest Il. IV, 733: ἤ τις Ἀχαιῶν

734: ῥίψει (sc. αὐτὸν) χειρὸς ἑλὼν ἀπὸ πύργου, λυγρὸν ὄλεθρον,

---

[1]) Par. VIII, 95; IX, 72.

[2]) In Par. †.

[3]) Cf. Ludwich, Beitr. p. 17.

sc. *ὥστε λυγρὸν ὄλεθρον εἶναι*[1]), et Tac. Ann. I, 27: „manus intentantes, causam discordiae et initium armorum".

V. 200 recte scriptum legitur in codice V *ἐρύσσας*, cum *ἐρείσας* exhibeatur ceteris non tam magni momenti codicibus. Nam *ἐρείσας* defendi nequit. Significat enim „fulcire, sustinere aliquid aliqua re", ita ut in ea nitatur. Sic

Par. V, 31: *νουσαλέος δ' ἀνέπαλτο καὶ εἰς πέδον ἴχνος ἐρείσας*
32: *ἵστατο*, et *σπόγγον*
Par. XIX, 153: *ἰθυπόρου καλάμου παρὰ νείατον ἄκρον ἐρείσας*,

ubi spongia in summo calamo defigitur. Ex quo clare patet, loco laudato voci *ἐρείσας* contrariam vim inesse ac locus exigit, cum „defigère" dicatur pro „solvere, extrahere". Nam Joseph „summum vinculum duplex, in ligno haerentem, acutum ferro praeacuto, extrahens solvit".

Par. XX, 125: *μάρτυρ'* corrigendum est in vocem *μάρτυν*, ne elisio substantivi aut adjectivi Nonno insolita admittatur, sicut v. 96 de conjectura *ἔστορ'* dictum est[2]).

N. 63. Deinceps inquirendum est de forma crucis, de numero clavorum, de modo denique crucifigendi. Hac autem in disquisitione proficiscor a pericope Par. XIX, 92—97, qua Christi supplicium describitur, ceteris locis pro re nata comparatis. Locum sic verto: „In lignum quadrilaterum sublimen supra terram rectum (Jesum) extenderunt, obstringentes necessitate extensas utrinque ferreo quodam vinculo manus, simul perforatis tranfixum simplici clavo, duplex vulnus habentem, uno transfossum ictu, pedibus conjunctis, inflexibile vinculum perniciei".

Crux a Joanne vocatur *σταυρός*[3]), a Nonno describitur *δόρυ τετράπλευρον*[4]), praeterea *δουράτεος*[5]) (*θάνατος*), *δούρατα γομφότομα, σταυροῖο ὀχεύς*[6]). Ceterum undecies vocabulo *σταυρός*[7]) utitur. Vox autem *σταυρός* significat palum, sive

---

[1]) Cf. Kühner—Blass II, 1 p. 284, 6.
[2]) Cf. Ludwich, Beitr. p. 17.
[3]) Jo. XIX, 17; 19; 25; 31.
[4]) In Par. †.
[5]) Praeterea Par. XIII, 120; et de Moysis serpente
Par. III, 74: *δουρατέης μεθέποντα τύπον ποιητὸν ἀκάνθης*.
[6]) Par. XIX, 107; 214.
[7]) Par. XIX, 28 cet. in hoc capite.

conjunctum cum patibulo [1]) sive non conjunctum [2]). Crucis cum patibulo conjunctae tria genera commemorantur, sc. crux decussata X, crux commissa T, crux immissa ┼. Quae Christi crucis forma fuerit, ex evangeliis neque Joanneo neque ceteris dijudicari potest. Solo enim vocabulo σταυρός utuntur. Haud secus Nonnus ambiguus est. Etenim verba, quae ad crucem designandam et describendam adhibuit, explicari possunt primum, ita ut crux fuerit una tantummodo trabs non conjuncto patibulo. Nam vox ὀχεύς unam tantum trabem indicat, verba conjuncta: δόρυ τετράπλευρον significare possunt lignum quadratum, i. e. cui quatuor costae sunt, vocabulum autem δούρατα more poëtarum ligna pro ligno potest designare [3]). Deinde eadem verba de duobus tignis dici possunt, i. e. de palo, quocum patibulum conjunctum est. Primum enim δούρατα plura ligna designat, deinde voce ὀχεύς, quae proprie indicat trabem crucis erectam, tota crux, cui patibulum conjunctum est, potest designari, cum pars praecipua pro tota re nominetur; tum vocabulum τετράπλευρος quator crucis cornua sive extrema significare potest. Sed ut res magis pateat, de vocis τετράπλευρος vi et significatione pauca quaerenda sunt [4]). Vocabulum πλευρά tam costam quam latus significat. Quod igitur ad etymon pertinet, vox τετράπλευρος verti potest aut: „qui quatuor costas habet", aut: „qui quatuor latera habet". De trabe quadrata igitur dici posse τετράπλευρος perspicuum est. Sic columna quadrata dicitur κίων τετράπλευρος [5]). Ergo manifestum est crucem in Paraphrasi, si una trabs quadrata est, δόρυ τετράπλευρον recte vocari. Sed eadem voce πλευρά designari posse quaecunque extrema sive latera, quamvis verisimile, haud tamen certum est. Equidem exempla afferre non possum. Quodsi paraphrasta crucem duobus tignis constare putaverit, eum vocabulo τετράπλευρος quatuor crucis extrema sive cornua aut quatuor perticas designasse concedo; praeterea de cruce immissa, non autem de cruce commissa eum loqui ex hac hujus vocis significatione efficitur. Denique si magis etiam vocis vis extenuatur et latius patet, ita ut sit „quadruplex", eodem pertinet, sc.

---

[1]) Cf. M. P. G. VII, 794 sq.; M. P. L. I, 578.

[2]) Cf. Il. XXIV, 453; Xen. Anab. V, 2, 21.

[3]) Cf. Par. XXI, 28: δίκτυα, 30: ἀμφίβληστρα cum 33: λίνον, 43 et 50: δίκτυον.

[4]) Quod attinet ad. v. 74: τετράζυγι δεσμῷ et v. 94 sq.: πεπταμένας ἑκάτερθε χεῖρας vide p. 124 sq.. [5]) Epigr. adesp. Byz. 2.

ad quatuor crucis aut cornua aut perticas. Fortasse huc pertineat

Dion. II, 391: *πᾶσα δὲ τετράπλευρος ἴτυς στυφελίζετο κόσμου,*

ubi rotae orbis sive curvatura mundi concussa describitur. Haec autem curvatura in quatuor partes divisa est secundum quatuor ventorum plagas, ut patet

Dion. II, 248: *τέτραχα τεμνομένην περιβάλλεται ἄντυγα κόσμου,*
392: *καὶ πίσυρες Κρονίωνι συναιχμάζοντες ἀῆται*
393: *ἠερίην σκοτόεσσαν ἐπυργώσαντο κονίην.*

De quatuor autem elementis mundi *τετράπλευρος* Dion. II, 391 dici verisimile haud est, ita ut verbis: *τετράζυγι κόσμῳ* [1]) vel: *τετράζυγι δεσμῷ* [2]), quibus vocibus mundi elementa indicantur, comparari nequeat. Multo igitur magis verisimile mihi videtur paraphrastam de una crucis trabe loqui eaque quadrata.

N. 64. Non solum Dominus sed etiam latrones apud Nonnum clavis cruci affixi sunt idque ex evangelio certum est de Christo [3]), cum de modo, quo latrones in crucem acti sint, taceat. At Nonnus clavorum mentionem facit, cum de latronibus crucifixis loquitur

Par. XIX, 98: *κέντροις δ' ἀντιτύποισιν ἐπὶ σταυροῖο δεθέντας*
99: *νυκτιλόχους δύο φῶτας ἐνὶ ξύνωσαν ὀλέθρῳ.*

Clavi autem dicuntur *κέντρα, γόμφοι, ἧλοι. Κέντρον* [4]) est „stimulus", „quaecunque res pungens", ita ut clavus quoque significetur, praesertim si ferri laminas conjungat [5]). Quo fit, ut ipsi clavi dicantur ferrei, sc. *σιδήρεα κέντρα* [6]).

Γόμφος [7]) significat clavum tam ligneum quam ferreum, praeterea quamcunque rem, quae duas partes conjungit [8]). At legitur scriptum

Par. XIX, 101: *καὶ Πιλάτος θηητὸν ἐπέγραφε μάρτυρι γόμφῳ*
102: *γράμμα.* Vulgo codices exhibent *γόμφῳ,* quam vocem Stephanus in Thesauro loco laudato explicat stilum, ceterum nullum hujus significationis exemplum afferens. Marcellus autem, quem secuti sunt Tiedke et Scheindler, conjecit *δέλτῳ,* quam conjecturam approbo. Nam primum vocabulum *γόμφος* ceteris in Paraphrasi locis clavum indicat [9]); deinde vox stili non desideratur, cum legatur duobus versibus posterius, sc.

---

[1]) Par. III, 82. [2]) Dion. VII, 6. [3]) Cf. Jo. XX, 20; 25; 27.
[4]) Par. XIX, 29; 98; praeterea III, 16; XI, 69; 111; XIII, 9.
[5]) Cf. Paus. X, 16, 1. [6]) Par. XIX, 29; cf. 94: *σιδηρείῳ τινὶ δεσμῷ.*
[7]) Par. XIX, 73; 95. [8]) Cf. Polyb. XIII, 7, 9.
[9]) Par. XIX, 73; 95; cf. 76: *γομφοτόμοισιν,* 76: *γομφωτόν.*

Par. XIX, 103: ἦν δὲ σοφῷ καλάμῳ τετυπωμένον, denique post vocabulum θηητόν exspectatur locus designatus non indicatus stilus, sc.: μάρτυρι δέλτῳ, quo aliquatenus circumscribatur Jo. XIX, 19: καὶ ἔθηκεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ. Forsitan igitur oculi scribae aberraverant ad finem versus 95: ἄζυγι γόμφῳ, ita ut γόμφῳ viderit scripseritque pro voce δέλτῳ. Γόμφοι autem, quibus Christi occisores utuntur, sunt clavi ferrei; unde dicuntur σιδηροφόροι [1]).

Iidem clavi dicuntur ἧλοι [2]), quorum vestigium i. e. vulnus ferro profundum est: βαθυνόμενόν τε σιδήρῳ. Ipsi clavi acute fixi sunt, sc. ὀξυτόροι [3]), Christi autem manus pedesque ἡλότυποι [4]). Clavis Dominum cruci esse suffixum effici non potest e

Par. XIX, 167: μὴ καὶ ἐπὶ σταυροῖο πεπηγότα σώματα μίμνῃ,

propterea quod non tantum corpora affixa cruci verbo πεπηγότα, sed etiam corpora mortua et rigentia insinuari possunt. Sed clare patet e Par. XIX, 200: πεπηγμένον ἄκρον ἐρύσσας

201: δίζυγα δεσμὸν ἔλυσεν ἀκαχμένον ὀξέι χαλκῷ.

Quot clavis Christus cruci suffixus sit, duobus an tribus, apud Nonnum certum non est. Quatuor clavos certo non admisit. Nam Christi pedes uno tantum clavo conjuncti transfossique sunt. Hoc ita esse demonstratur

Par. XIX, 95: ὁμοτρήτοισι πεπαρμένον ἄζυγι γόμφῳ
96: διπλόον ἕλκος ἔχοντα, μιῇ τετορημένον ὁρμῇ
97: ποσσὶν ὁμοπλεκέεσσιν, ἀκαμπέα δεσμὸν ὀλέθρου.

Hos versus si explicas de uno clavo, per pedes simul conjunctos et transfossos, uno ictu transfixo, ita ut clavus ille sit perniciei vinculum, quod effugi nequeat, omnia satis clara atque perspicua sunt, secus obscura omnia. At Knabenbauer de hoc loco haec scribit: „Dicit quidem Nonnus pedes esse transfixos ἄζυγι [5]) γόμφῳ, quae dictio obscura est, at cum eodem loco ad v. 15 scripserit: erectus hic pereat ferriferis a clavis extensus in ligno mortis factae τετράζυγι δεσμῷ quadriiugo vel quadruplici vinculo, certe de quattuor clavis sententiam ipse quoque enuntiat. Quare illud ἄζυγι γόμφῷ explicari debebit cum Hug et Langen p. 319 de

[1]) Par. XIX, 73; sed XVIII, 29 hac voce indicantur milites armis instructi; cf. Dion. XLVI, 2: σιδηροφόρων ἀπὸ χειρῶν.

[2]) Par. XX, 111; 125. Apud Homerum semper ornatus causa adhibentur, ut Il. I, 246.

[3]) Par. XX, 111; 125.

[4]) Par. XX, 90 sq..

[5]) Cf. n. 77.

uncino duabus cuspidibus instructo, qui scil. cum duae cuspides vel duo clavi uno quasi ex capite progrediuntur et uno illo etiam quasi uniuntur, ἄζυξ γόμφος appellari potest" [1]). Vir doctus profecto secutus est lectionem codicum ἦτορ. Sed haec interpretatio, sive textum sive rem ipsam consideres, omnino rejicienda esse mihi videtur. Primum enim ἦτορ, i. e. cor, clavi cacumen sive caput esse non potest neque cuspis. Praeterea, quomodo Christi pedes maxime singulari hoc clavo unum juxta alium positos milites perfodere potuerint, difficillime concipitur. Denique, quamvis voces ὁμοπλεκής et ὁμόζυξ [2]) pedes unum juxta alium positos significare possint, tamen Nonnus eas adhibere solet, ut significet res sic conjunctas unum quid efficere.

Postremo duos pedes clavis duobus esse transfixos verba: τετράζυγι δεσμῷ demonstrare non possunt neque verba: τετραπόρῳ ὀλέθρῳ [3]). Nam τετράζυξ idem est ac „quadruplex, quatuor". Itaque τετράζυγι δεσμῷ indicatur quatuor Christi membra esse vincta. Haec autem vincta esse possunt aut duobus aut tribus aut quatuor clavis. Sic τετράπορον [4]) est „id, quod quatuor ora habet", si alterius partis vocabuli etymon a voce πόρος ducis; „id, quod quater transfossum est", si a verbo πείρειν ducis; cui vocabulo, si conjungitur vox ὄλεθρος, nihil aliud significat nisi pernicies, quae quatuor vulneribus efficitur. Itaque manus Domini duplici vulnere transfixae ejusdemque pedes uno clavo conjuncti transfossique duplici vulnere significari possunt.

Magnam ad extricandam de numero clavorum quaestionem difficultatem afferunt

Par. XIX, 200: ἐγγύθι δὲ σταυροῖο πεπηγμένον ἄκρον ἐρύσσας
201: δίζυγα δεσμὸν ἔλυσεν ἀκαχμένον ὀξέι χαλκῷ.

Cum quibus comparentur Par. XIX, 93: ἐπισφίγξαντες ἀνάγκῃ
94: πεπταμένας ἑκάτερθε σιδηρείῳ τινὶ δεσμῷ
95: χεῖρας. Utramque Domini manum singulo clavo cruci affixam esse haec insinuare videntur. Primum Joseph ab Arimathaea „duplex vinculum" solvit. Non enim „duo vincula" scriptum legimus sed „duplex vinculum". Duplex autem vinculum indicare potest utrumque vinculum, tam manuum duobus clavis

---

[1]) J. Knabenbauer, in Matth. XXVII, 35, p. 321 sq..
[2]) Par. XIX, 177; cf. n. 77.
[3]) Par. XIX, 31.
[4]) Par. XIX, 31 †.

effectum, quam pedum factum uno clavo. Itaque Joseph solvit duplex vinculum, manuum alterum, alterum pedum. Praeterea duplex vinculum hoc etiam modo explicari potest. Cum enim manus pedesque Christi vincta esse dicantur quadruplici vinculo: *τετράζυγι δεσμῷ*, propterea quod quatuor haec membra transfixa sint, manuum vinculum dici potest duplex sive uno clavo sive duobus transfossae sint. Haud secus pedum vinculum duplex est, quamquam uno clavo ambo perterebrati sunt. Itaque duplex manuum vinculum solvit Joseph et iterum duplex vinculum pedum. Bis igitur duplex vinculum solutum est, sed semel tantummodo Nonnus duplex vinculum solvi narravit, alterius duplicis vinculi soluti mentione non facta.

Hucusque igitur dijudicari nequit, utrum manus Domini uno clavo an duobus transfixae sint. Sed Par. XIX, 93 sqq. paraphrasta commemorat Christi manus esse extensas utrinque. Atqui admodum simplici et evidenti ratione explicatur manuum extensio, si ab utraque corporis parte manus in patibulo extenduntur. Sic Sibylla canit: *ἐκπετάσει χεῖρας καὶ κόσμον ἅπαντα μετρήσει*[1]), et Lactantius: „Extendit ergo in passione manus orbemque dimensus est"[2]). Ex quo efficitur singulo clavo utramque manum transfixam esse. Itaque in hac sententia Christus sublatus est in crucem immissam ejusque manus utraque singulo clavo est transfossa. Equidem, quamvis hanc sententiam non improbem, eam tamen non sequor. Detorta enim et nimis exquisita mihi esse videtur.

Verum censeo apud Nonnum Christi Domini manus ambas uno tantummodo clavo cruci esse affixas. Nam primum versus 200 sq. sponte et optime, si textum respicis, de uno manuum clavo explicantur. Etenim verba: *πεπηγμένον ἄκρον ἐρύσσας δίζυγα δεσμόν* cogunt, ut vinculum fixum summum vere clavum, non autem membrum vinctum vel vulnus, factum per clavum, dicas. Itaque duplex vinculum duo clavi sunt, alterum, quo manus, alterum, quo pedes transfixi sunt. Neque obstat manus dici esse extensas. Praeter utramque enim capitis partem sive praeter tempora in altum sublatae sunt et supra Christi caput conjunctae simulque transfossae. Sic, si *χεῖρας* bracchia esse intellegas, vere extenduntur totae; si manus intelligas, volae sive palmae extenduntur, ut clavis possint perterebrari. Quodsi versus 93 sqq., relicta Scheindleri verborum interpunctione, ita legas:

---

1) Syb. VIII, 302.
2) Lact. Div. Inst. IV, 26, 36.

Par. XIX, 93: ἐπισφίγξαντες ἀνάγκῃ
94: πεπταμένας ἑκάτερθε σιδηρείῳ τινὶ δεσμῷ
95: χεῖρας, ὁμοτρήτοισι πεπαρμένον ἄζυγι γόμφῳ·
96: διπλόον ἕλκος ἔχοντα, μιῇ τετορημένον ὁρμῇ
97: ποσσὶν ὁμοπλεκέεσσιν, ἀκαμπέα δεσμὸν ὀλέθρου,

nisi de uno clavo, per manus conjunctas transfixo, omnino explicari non possunt, cum vocabulum ὁμοτρήτοισι, hac interpunctione admissa, tantummodo ad manus pertinere possit.

Quae si ita sint, crucem fuisse unam trabem, non conjuncto patibulo, manifestum est. Inutile enim et supervacaneum erat patibulum. Ad quid enim patibulum, cum duobus clavis Christi manus pedesque transfixi sunt, - transfossis uno clavo pedibus conjunctis, altero ambabus manibus supra caput erectis conjunctisque, non autem in transversum expansis?

N. 65. Decies Joannes utitur verbo σταυροῦν idque semper capite XIX, semel Nonnus, Par. XIX, 72. Porro verba generalia crucifigendi sive supplicii sumendi sunt: σταυρῷ σύμπλοκος [1]), σταυρῷ δαμάσαιμι [2]), συνεκλήισσαν ὀχῆι [3]). His enim modus crucifigendi non explicatur. Idem dicendum est de verbis δεθέντας [4]), δεθέντα [5]), δεθέντος [6]). Nam, quamquam „vincire" significant, modum vinciendi non indicant. Hic autem designatur verbis γομφωτόν [7]) et fortasse πεπηγότα [8]), quibus clavorum figendorum mentio fit.

Ceteris vocabulis, quae supplicium designant, describit paraphrasta Dominum in crucem esse extensum [9]), rectum [10]), supra terram [11]), ita ut Christi corpus inconcussum [12]) affixum, medium compressum atque constrictum sit more vesparum [13]). Utrum Dominus sublimis in crucem actus alte supra terram sublatus sit necne obscurum est. Suspicio tamen est

---

1) Par. XIX, 28.
2) Par. XIX, 48.
3) Par. XIX, 107; 114.
4) Par. XIX, 98.
5) Par. XIX, 117.
6) Par. XIX, 173.
7) Par. XIX, 76.
8) Par. XIX, 167.
9) Par. XIX, 74: ταθείς, 93: ἐξετάνυσσαν, 117: ἐκταδόν.
10) Par. XIX, 28 et 73: ὄρθιος, 93: ὄρθιον, 117: ὀρθώσαντες, 202: νέκυν ἑστηῶτα. Vox ὄρθιος, ter de Domino crucifixo dicta, referenda esse videtur ad verbum extendendi; cf. Soph. Aj. 240: τὸν δ' ὀρθὸν ἄνω κίονι δήσας, Aesch. Prom. 32: ὀρθοστάδην ἄϋπνος.
11) Par. XIX, 28: ἐπήορος, 92: ἐπήορον, 92: ὑψόθι γαίης, 115: ὑψιφανῆ, 171: ὑψιτενῆ.
12) Par. XIX, 116: ἀτίνακτον.
13) Par. XIX, 31: σφηκώσατε.

Dominum alte supra terram sublatum esse. Nam Christo sitienti vir quidam porrigit spongiam vagam, arundini praefixam, quam in altum porrigit

Par. XIX, 153: ἰθυπόρου καλάμου παρὰ νείατον ἄκρον ἐρείσας.

Scalae tamen, dum Joseph Christi corpus a cruce deponit, mentionem non facit Nonnus, nisi forte v. 202: κατήγαγε Josephum ea usum esse indicet.

De sedili crucis, de suppedaneo, de ritu, quo damnati in crucem tolluntur, sive in crucem jam erectam ascendunt, sive in crucem, quae humi jacet, sternuntur atque extenduntur, Nonnus penitus tacet. Verisimilius tamen mihi esse videtur in Paraphrasi Nonnum insinuare Christum in crucem jam erectam esse sublatum. Dicit enim

Par. XIX, 92: εἰς δόρυ τετράπλευρον ἐπήορον ὑψόθι γαίης
93: ὄρθιον ἐξετάνυσσαν, de cruce postea erecta vel erigenda mentione non facta.

Maxime mira in Paraphrasi est crucis crucifigendique narratio N. 66.
atque descriptio. Communis enim antiquitus accepta opinio est crucis formam fuisse sive commissam sive immissam. Quin etiam apud nullum auctorem christianum antiquum simplex palus commemoratur. Neque extant artis monumenta, in quibus crux depicta sive efficta est, quin patibulum additum sit. Excipias tantummodo ampullam quandam, in qua Christus depictus est omissa cruce, sed ab utroque ejus latere latrones ad palum affixi sunt[1]). Neque unquam mentio fit duorum tantum clavorum, sed quatuor plerumque, trium aliquoties. Patet tamen, duobus tantum clavis admissis, admittendum esse quoque palum non conjunctum patibulo. Hinc est, quod incertus haereo, utrum paraphrasta inconsuetam hanc crucis formam, inconsuetum praeterea duobus clavis crucifigendi modum descripta voluerit necne, si textum tantummodo specto, haud dubius. Non tamen neglegas Nonnum, crucis supplicio, a Constantino Magno abolito, nunquam adfuisse ideoque fortasse ingenio suo indulsisse.

Omisso numero[2]), Nonnus narrat milites Christi vestes inter se N. 67.
partitos esse Par. XIX, 115: ὑψιφανῆ δὲ
116: Ἰησοῦν ἀτίνακτον ὑποδρηστῆρες ὀλέθρου
117: ἐκταδὸν ὀρθώσαντες ἐπὶ σταυροῖο δεθέντα,

---

[1]) Cf. Kraus, Real-Encycl. der Christl. Altertümer, s. v. Kreuzigung; cf. s. v. Kreuz.
[2]) Cf. Jo. XIX, 23: τέσσαρα μέρη.

118: *θεσπεσίην ἐσθῆτα θεηγενέος βασιλῆος*
119: *ἱστάμενοι δάσσαντο καὶ αἰγλήεντα χιτῶνα,*
120: *ὅστις ὅλος καὶ ὕπερθεν ὁμοῦ καὶ ἔνερθε φορῆος*
121: *ἄρραφος ἦεν ὑφαντὸς ἀπ' αὐχένος εἰς σφυρὰ λήγων.*
122: *ἀλλήλοις δ' ὀάριζον ὁμοφθόγγῳ τινὶ μύθῳ·*
123: *οἴνοπα μὴ σχίζοιμεν ἀήθεα τόνδε χιτῶνα*
124: *θέσκελον, ἀμφιέποντα τύπον ξένον, ἀλλ' ὑπὲρ αὐτοῦ*
125: *δάκτυλα χειρὸς ἀφέντες ἐκηβόλα σύμβολα νίκης*
126: *λαχμῷ πάντες ἴδοιμεν ἀδηρίτῳ, τίνος ἔσται·*
127: *ὄφρα κε μῦθος ἐκεῖνος ἐτήτυμος ὄψιμος εἴη,*
128: *ὃν κιθάρῃ ψάλλουσα θεηγόρος ἔννεπε μολπή·*
129: *ἡμέτεροι δασπλῆτες ἐπ' ἀλλήλοισι φονῆες*
130: *ξυνοὶ ἀμιλλητῆρες ἐμοὺς δάσσαντο χιτῶνας*
131: *καὶ κλήρους ἐβάλοντο φιλοχλαίνῳ τινὶ λαχμῷ,*
132: *ἡμετέρης ἐσθῆτος ἕως ἐγένοντο φορῆες.*
133: *καὶ τὰ μὲν ἔργα τέλεσσεν ἀθεσμοβίων στρατὸς ἀνδρῶν* [1]).

Has vestes Joannes *ἱμάτια, ἱματισμόν*[2]) vocat i. e. vestes, vestitum. Tunica autem in evangelio *χιτών* dicitur[3]). In Paraphrasi leguntur nomina *ἐσθής, χιτών, φιλόχλαινος*. Horum primum indicat universe vestitum, sicut Par. XIX, 118 et 132; sed singulae vestes eo nunquam significantur. Tamen Par. XIX, 23: *ἐσθής* dicitur chlamys coccinea, quam milites Christo induerunt. Sed forsitan Nonnus meminerit Matth. XXVII, 28: *ἐκδύσαντες αὐτὸν χλαμύδα κοκκίνην περιέθηκαν αὐτῷ*. Quo patet chlamydem illam omnem Christi vestitum fuisse. Voce *χιτών* antiqui auctores utuntur cum pro tunica tum pro vestitu generatim[4]), id quod Nonnus imitatus est. Sic Par. XIX, 123: *χιτῶνα* tunicam dixit, sed v. 130: *χιτῶνας* vestimenta[5]). ***Φιλόχλαινος*** occurrit v. 131 †. ***Χλαῖνα*** autem est laena a frigore tegens, unde legitur

Dion. XXXVII, 150: *ἄνδρες ἀεθλεύουσι φιλοχλαίνου περὶ νίκης,*
151: *χειμερίῳ σφίγγοντες ἀθαλπέα γυῖα χιτῶνι.*

Sed loco laudato Christi tunicam *χλαῖναν* dicit, vocabulorum synonymorum alterum ab altero non discernens; quod mirum non potest esse, si animum advertas ad ea, quae dicta sunt de vocibus servos[6]) et crines[7]) significantibus.

---

[1]) Cf. Jo. XIX, 23 sq.. [2]) Cf. Ps. XXI, 19. [3]) Jo. XIX, 23, bis.
[4]) Cf. Aesch. Suppl. 903; Soph. Trach. 577; 609.
[5]) Cf. Par. XIII, 19; 57. [6]) Cf. n. 86. [7]) Cf. n. 87.

De hac veste sortitio fit hoc modo:

Par. XIX, 125: δάκτυλα χειρὸς ἀφέντες ἐκηβόλα σύμβολα νίκης
126: λαχμῷ πάντες ἴδοιμεν ἀδηρίτῳ, τίνος ἔσται [1]),
131: καὶ κλήρους ἐβάλοντο.

Voce λαχμῷ significatur sortitio, κλῆροι autem sortes sunt. Versus 125 indicat modum, quo milites sortiuntur, sc. micant digitis. Hic ludus Romanis maxime usitatus erat, nostrae aetatis Italis minime ignotus. Omnibus enim notus est „il giuoco alla morra, fare alla morra, fare al tocco" [2]).

Postremo quaedam notatu digna elegi e versibus N. 68.

Par. XIX, 146: Ἰησοῦς δ' ἅμα πάντα παριππεύσαντα νοήσας,
147: ὅττι θοῶς τετέλεστο, θοώτερον ἤθελεν εἶναι
148: τέρματος ἱσταμένοιο τὸ λείψανον.

Saepissime paraphrasta ἅμα conjungit cum voce πᾶς, ut Par. X, 90; XI, 77; XII, 138; XIII, 14; 49; 54 [3]). Praeterea semel significat „simul cum", sc. Par. XIX, 209: ἅμα καρπῷ i. e. simul cum fructu; et bis conjungitur cum adjectivo, quod compositum est cum praepositione σύν, sc. Par. XIX, 135: οἷς ἅμα κείνη 136: σύγγονος ἦν Μαρίη καὶ ὁμώνυμος, quo tamen loco fortasse significat: „cui simul cognata et cognominis erat", et Par. XX, 117: ἅμα τοῖσι συνέστιος. Verbum παριππεύειν i. e. „equo praetervehi" Nonnus adhibet, ut tempus ruere indicet [4]) eademque voce rem eandem designantes utuntur scriptores ecclesiastici et aetatis Byzantinae auctores [5]).

Ceterum quod attinet ad structuram verborum

Par. XIX, 145: Ἰησοῦς δ' ἅμα πάντα παριππεύσαντα νοήσας,
146: ὅττι θοῶς τετέλεστο, satis mire haec dicta esse videntur. Si solummodo scriptum esset: πάντα νοήσας [6]), ὅττι θοῶς τετέλεστο, res esset aperta; haberemus enim notissimam illam prolepsim vel anticipationem. Nunc vero, cum additum est

[1]) Cf. Dion. XIX, 219: τοῖα Μάρων ἐχάρασσε πολύτροπα δάκτυλα πάλλων,
225: (Σειλήνου) σύμβολα τεχνήεντα κατέγραφε σιγαλέῃ χείρ.

[2]) Cf. Guhl u. Koner, Das Leben der Griechen und Römer, § 56, p. 334; K. Kuiper o. l. p. 343 [1]) suspicatur Nonnum pro δάκτυλα scripsisse ἄκυλα militesque τρόπα lusisse.

[3]) Cf. Hom. Il. I, 495; XXIV, 253; Od. XI, 232.

[4]) Cf. Par. V, 12.

[5]) Cf. Niceph. Hist. p. 6, B: Ὀλίγου δὲ χρόνου διιππεύσαντος, Pallad. V. Chrysost. p. 24; Basil. Sel. V. Theclae p. 289, A; Anna Comn. p. 114, D.

[6]) Jo. XIX, 28 scriptum legitur εἰδώς, sed varia lectio EGa exhibet ἰδών.

participium *παριππεύσαντα*, mixtum quoddam dicendi genus habemus, quod obscurum quidem non est, sed tamen, quantum scio, inusitatum.

Verbis porro Par. XIX, 147: *θοώτερον ἤθελεν εἶναι* 148: *τέρματος ἱσταμένοιο τὸ λείψανον*, Nonnus explicasse videtur illud Jo. XIX, 28: *ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφή*. Sed propriam horum verborum vim non intellexisse videtur, fortasse in errorem ductus verbo *τελειοῦν*. Solent enim evangelistae hoc: „ut Scriptura impleretur" vertere verbo *πληροῦν* [1]). Semel tantummodo idque loco laudato legitur verbum *τελειοῦν*. Attamen ceteris locis hoc verbum usurpatur de re, quae finitur, ut Luc. XIII, 32: *καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι*, i. e.: „et tertia die consummor". Sic Nonnus quoque verbum intellexit: „ut finiatur Scriptura", i. e. ut omnia, quae de Messia praedicta sunt, finiantur et perficiantur. Hoc patet ex verbis: *τέρματος ἱσταμένοιο* [2]) *τὸ λείψανον*. Mori igitur Dominus cupit. Sed Joannes spectat ad Ps. LXVIII, 22: *καὶ ἔδωκαν εἰς τὸ βρῶμά μου χολήν, καὶ εἰς τὴν δίψαν μου ἐπότισάν με ὄξος*.

---

[1]) Cf. Matth. I, 22; cet.; Marc. XIV, 49; Luc. IV, 21; cet.; Jo. XII, 38; cet..
[2]) Cf. *μηνὸς ἱσταμένου*.

CAPUT III.

APPENDIX.

Συνέστιος — Par. II, 18; XVI, 33; XIX, 143; XX, 117. N. 69.
domesticus: Par. XVI, 38 cum gen.; XIX, 143 sine casu; XX, 117 ἅμα cum dat..
conviva: Par. II, 18 aut sine casu aut cum dat.; Dion. XLVIII, 978 cum dat..

ὁμέστιος — Par. VI, 224; XVIII, 127.
domesticus: Par. VI, 224 cum dat.; XVIII, 127 sine casu aut μετὰ cum gen.; Dion. I, 463 cum gen.; VIII, 411 cum dat..

σύνδορπος — Par. II, 7; XIII, 84.
conviva: Par. II, 7 cum dat.; XIII, 84 sine casu aut cum dat..

ὁμοδόρπιος — Par. VI, 32; 226.
conviva: Par. VI, 32 sine casu; 226 sine casu.

ὁμοκλινής — Par. II, 7 †.
conviva: Par. II, 7 †.
Horum verborum nullum legitur scriptum in Joannis evangelio neque in ceteris Novi Testamenti libris.

Θεητόκος — Par. II, 9; 66; XIX, 135. N. 70.
mater Dei: locis laudatis; in Dionysiacis non occurrit, neque in Novo Testamento.

Licentia scribendi pro littera ο, in quam cadit ultima syllaba primae partis plurium verborum compositorum, litteram η, ut syllaba producatur, non solum poëtae crebro uti solent, sed ea etiam solutae orationis scriptoribus datur [1]). Nonnus formam per η scriptam in Paraphrasi ceteris quoque vocabulis cum voce θεός compositis non nisi metri causa adhibet. Utitur autem:

θεηγενής — Par. XII, 169; XIX, 118; XXI, 122; Dion. VIII, 13.
θεηγόρος — Par. I, 21; 74; 89; cet. decies quinquies.
θεηδόκος — Par. XI, 4; 8.

---

[1]) Cf. Kühner—Blass I, § 38,5; § 340,2.

θεηδόχος — Par. XXI, 47 †.

θεημάχος — Par. III, 94; VIII, 107; XVIII, 66; Dion. I, 42; 283; II, 161; 571; XXIX, 42; cet..

θεητόκος — Par. II, 9; 66; XVIII, 135.

Harum vocum nulla legitur in Novo Testamento, in quo composita cum *θεη* — non occurrunt sicut neque in Homero. Sed Act. V, 39 scriptum est *θεομάχος*.

Praeterea utitur:

θεόγληνος — Par. XX, 54 †.

θεόγλωσσος — Par. II, 108; V, 147; VII, 100; VIII, 22.

θεοδέγμων — Par. I, 23; 148; III, 155; cet. novies.

θεοδινής — Par. I, 93; III, 43; IV, 67; VI, 81.

θεόδμητος — Par. II, 110; IV, 94; cf. Il. VIII, 519.

θεόκλητος — Par. I, 77; II, 72; IV, 100; IX, 117; XVIII, 98.

θεόκμητος — Par. XX, 82 †.

θεόμητις — Par. VIII, 121 †.

θεόπαις — Par. XIX, 138 †.

θεοπειθής — Par. III, 116; V, 40; 176; cet. septies.

θεόπνευστος — Par. I, 99; II, 89; IV, 2; X, 136.

θεοπρόπος — Par. IV, 139; XI, 207; cf. Il. XII, 228.

θεόρρητος — Par. V, 154 †.

θεόρρυτος — Par. VIII, 10 †; cf. Germanum, M. P. G. XCVIII, 291.

θεόσσυτος — Par. I, 83; VI, 125; VIII, 36; 169; XII, 184.

θεόστοργος — Par. IV, 202 †.

θεοστυγής — Par. VIII, 111; XXI, 125.

θεοτερπής — Par. VI, 120; VIII, 80; XV, 18.

θεοφραδής — Par. III, 9; 38; VIII, 154; XII, 177; XX, 113.

Joannes nullum horum vocabulorum adhibet, sed utitur

θεοσεβής — Jo. IX, 31 †.

In ceteris Novi Testamenti libris occurrit:

θεόπνευστος — II Tim. III, 16 †.

θεοστυγής — Rom. I, 30 †.

Θεόφιλος — Luc. I, 3; Act. I, 1.

θεομάχος — Act. V, 39 †.

N. 71. Quamquam quaestionem de aetate, qua Nonnus Paraphrasim scripserit, decernere et dijudicare difficillimum est neque equidem in ea dijudicanda studia posui, haec tamen annotavi, quae ad eam illustrandam utilia esse duxi. „Auctor ingentis poëmatis", quod inscribitur *Διονυσιακά*, „est Nonnus Panopolitanus: id quod nunc

multo certius quam antea constat", ut doctissimus Ludwich argumentis confirmat[1]). Idem autem Nonnus conscripsit librum, cui titulus est: *Μεταβολὴ τοῦ κατὰ Ἰωάννην ἁγίου Εὐαγγελίου.* Qua in re consentiunt plurimi viri docti, Ludwich[2]), Scheindler[3]), Tiedke, Kinkel, Friedlaender, excepto Draeseke[4]), qui ab Apollinario Laodiceno Paraphrasim evangelii esse scriptam putat. Poëtam floruisse saeculo p. Chr. n. quinto nemo negat. Sed in hoc dissentiunt, utrum vixerit circa annum 400 an post annum 440. Primum praesertim contendit Ludwich, quod Nonnus Gregorii Nazianzeni carmina (381—390) cognoverit, Dionysiaca autem Cyrus Panopolitanus (± 440). Itaque Nonnus annis 390—440 floruerit[5]). Alteram sententiam probabiliter exponit doctissimus Friedlaender[6]). Qui perhibet atque defendit: primum Nonnum pauca mutuatum esse a Cyro Panopolitano (441), tum poëtas prima saeculi quinti parte florentes ad Nonni perfectionem in re metrica et in genere dicendi minime pervenisse, nullum autem ejus imitatorem, puta Christodorum, Koluthum, Joannem Gazaeum, Musaeum, Paulum Silentiarium, scripsisse ante Anastasium regnantem (491—518) neque credi prorsus posse spatium nonaginta fere annorum (± 400—490) inter magistrum ejusque imitatores interfuisse. Attamen P. Maas contendit Nonnum et Cyrum ex eodem fonte hausisse[7]). Praeterea poëtam fortasse longo temporis intervallo alii imitati sint[8]).

Θεόπαις — Par. XIX, 138 †. N. 72.

Deipara: XIX, 138; cf. German. Const. M. P. G. XCVIII, 291; 299. Huic significationi non obstat, quod Germanus Mariam parvulam inducit, antequam Filium peperit. Sic Dion. VIII, 28 Semele vocatur *τεκοῦσα,* quamquam Dionysos adhuc est *πάις ἀλόχευτος.* Dei filia(-us): Herodic. Bab. in epigr. ap. Athen. V, p. 222.

---

1) Cf. A. Ludwich, Nonni Pan. Dionysiaca, praef. I.

2) Cf. A. Ludwich, o. l. praef. VIII.

3) Cf. A. Scheindler, Nonnus, Paraphrasis cet..

4) Cf. I. Draeseke, Apollinarios von Laodicea, Sein Leben und seine Schrifte; Theol. Lit. Zeit. 1899, p. 332; W. f. K. Ph. 1893, p. 319.

5) Cf. A. Ludwich, Dion. praef. IX sq.; Rh. Mus. XLII, 1887, p. 233 sqq.; Musaeus, Hero und Leandros, 1912.

6) Cf. Hermes, Bd. 67, H. 4, Oct. 1912: P. Friedlaender, Die Chronologie des Nonnos von Panopolis, p. 43 sqq..

7) Cf. P. Maas, Deutsche Lit. Zeit. 1910, p. 2588.

8) Cf. Byz. Zeitschr. 21, H. 3 sq., 1913: A. H. p. 557.

Plurima adjectiva, quorum secunda pars est substantivum, tam active quam passive verti possunt. Illa, quae sunt voces poëticae, circumscribuntur verbo *ἔχειν*, haec verbo *εἶναι*. Tantummodo contextus verborum vim aut activam aut passivam indicat. Sic:

οἴκων δ' ἄρ' εὐθυδίκων
καλλίπαις πότμος ἀεί [1])

significat: „domorum justarum sors semper filios pulchros habet", et:

Περσέφασσα καλλίπαις θεά [2])

est: „Persephone dea, quae est pulchra filia" [3]).
Praeterea in Paraphrasi leguntur:

ἀγλαόπαις — Par. IV, 252; XXI, 91.
qui claros pueros habet: ll. ll..
ἀρσενόπαις — Par. IV, 55 †.
qui filios masculos habet: Par. IV, 25; Dion. VIII, 31.
qui filii mares sunt: Dion. II, 350.
In Dionysiacis occurrunt:
εὔπαις (?) — Dion. XXIV, 86.
qui bonos vel multos filios habet, aut
qui bonus filius est — Dion. l.l..
φιλόπαις — Dion. I, 130.
qui filiam amat: Dion. l.l..
Cf. *φιλότεκνος* — Par. IV, 213; 235.
qui filium amat: ll. ll..
In Novo Testamento horum vocabulorum occurrit tantum
φιλότεκνος — Tit. II, 4 †.

N. 73. *Αὐτόγονος* — Par. II, 65; III, 35.

Nonnus mire delectatur vocabulis cum voce *αὐτός* compositis. In Paraphrasi leguntur:

αὐτάγγελος — Par. XX, 127 †.
αὐτάγρετος — Par. VII, 125; X, 65; XIX, 50; cf. Hom. Od. XVI, 148 †.
αὐτοβόητος — Par. IV, 130; V, 143; Dion. I, 432.
αὐτογένεθλος — Par. I, 55; IV, 109; V, 69; VIII, 137; XIII, 129.
αὐτόγονος — Par. II, 65; III, 35; Dion. II, 494; VIII, 103; XLVIII, 13.
αὐτοδίδακτος — Par. I, 137; II, 119; IV, 242; VI, 58; Dion. VIII, 29; cf. Hom. Od. XXII, 347 †.

---

[1]) Aesch. Agam. 761 sq..
[2]) Eur. Or. 964.
[3]) Cf. Kühner—Blass, § 338, 4.

αὐτοέλικτος — Par. V, 23; XX, 32; Dion. VIII, 10; XLVIII, 58; cet..
αὐτοθέμεθλος — Par. XIV, 93 †.
αὐτόθροος — Par. V, 124 †.
αὐτοκέλευθος — Par. XI, 161 †; Dion. VI, 369; XXI, 167; XL, 520, 528.
αὐτοκέλευστος — Par. III, 108; V, 54; VII, 107; cet. novies; Dion. II, 12; cet..
αὐτοκύλιστος — Par. XI, 112; XXI, 31; Dion. II, 434; XLVIII, 159.
αὐτόματος — Par. III, 37; V, 7; 118; cet. undecies; Dion. II, 318; cf. Hom. Il. II, 408; cet..
αὐτόπρεμνος — Par. X. 107 †; Dion. II, 77.
αὐτόρριζος — Par. I, 64; XIX, 224.
αὐτόσσυτος — Par. III, 162; VII, 63.
αὐτοτέλεστος — Par. I, 39 †; Dion. XLVIII, 84.
αὐτόφονος — Par. VIII, 46 †; Dion. XVII, 314; cf. Hom. Il. IV, 395: nomen propr..
αὐτόφυτος — Par. I, 3 †; Dion. II, 300.
αὐτόχυτος — Par. VII, 147 †; Dion. XLII, 97.

Composita haec in N. T. non leguntur nisi *αὐτόματος*, Marc. IV, 28, Act. XII, 10, non tamen apud Joannem. Sed occurrunt
ἐπ' αὐτοφώρῳ — Jo. VIII, 4 †; in ceteris N. T. libris:
αὐτάρκης — Phil. IV, 11 †.
αὐτοκατάκριτος — Tit. III, 11 †.
αὐτόπτης — Luc. I, 2 †.
αὐτόχειρ — Act. XXVII, 19 †.

In adjectivis autem compositis cum *αὐτός*, haec vox significare potest 1: „meus ipsius" cet.; 2: „per se ipse"; 3: „simul cum"; 4: „separatim, solus". Sic *αὐτοφόνῳ ὀλέθρῳ* [1]) indicatur pernicies, quae fit sua ipsius caede; *αὐτοδίδακτος* est, qui per se ipse doctus est; *δένδρεα δ' αυτόπρεμνα* [2]) sunt arbores simul cum radicibus; denique: *σχέδιά τ' αυτόκωπα νωμῶν ξίφη* [3]) significat: comminus stringens gladium, qui a capulo tantum teneri potest.

Quod igitur attinet ad vocabulum *αὐτόγονος*, quocum verba *αὐτογένεθλος* et *αὐτόφυτος* cohaerent, quaeritur utrum significet: „per se ipse genitus" an: „unigenitus" i. e. *μονογενής* sive *μουνόγονος*. At sine ulla dubitatione in Paraphrasi designat: „per se ipse genitus". Nam primum, quatuor locis, ubi Joannes de Verbo Filio Patris vocem *μονογενής* adhibet [4]), utitur

---

[1]) Par. VIII, 46.
[2]) Dion. II, 77.
[3]) Aesch. Choeph. 162.
[4]) Jo. I, 14; 18; III, 16; 18.

paraphrasta μουνογενής [1]), μουνόγονος [2]), τηλύγετος [3]). Hoc autem posterius verbum unigenitum quoque filium designare veri dissimile non est. Porro voces αὐτογένεθλος, semper de Deo, imo de Deo Patre dictam, et αὐτόφυτος, dictam de Deo Patre, unigenitum non posse significare sed designare „per se ipse genitus", „sponte ortus" manifestum est. Item αὐτόγονον non potest esse πνεῦμα [4]), quasi Spiritus unigenitus, sed est, ut Nonnus ait, Spiritus sponte genitus. Non secus αὐτόγονον πῦρ [5]) et αὐτογόνων Γιγάντων [6]) dicuntur hoc de igne sponte orto, illud de gigantibus per se ipsis genitis. Quae cum ita sint, verisimillimum est voce αὐτογόνῳ Par. II, 65 designari Filium Dei per se ipsum genitum, minime unigenitum Filium sive Dei Patris sive Mariae virginis. Accedit, quod omnia fere, quae in Paraphrasi leguntur, adjectiva composita cum αὐτός vim habent significandi „per se ipse". Verumtamen his vocabulis αὐτογένεθλος, αὐτόφυτος, αὐτόγονος de Deo et tribus Personis Divinis dictis Nonnus omnino falsus est. Nam αὐτόγονος cet. aut est „is, qui ipse se genuit", sicut αὐτοδίδακτος „qui ipse se docuit", aut est „is, qui neque partu neque arte sed sponte oritur", sicut αὐτοκέλευστος „qui non ab alio jussus sed sponte aliquid facit." Atqui primum non nisi inepte dicitur, quia quodcumque generatur, ab alio generatur; alterum autem de divina natura dici nequit, nec de Deo Patre nec de Spiritu Sancto, quippe quod geniti non sint; Filius autem, quamquam genitus est, non sponte sed a Patre est genitus. Tamen non re, sed vocabulis vitiosis adhibitis paraphrasta falsus est. Etenim Filius ab eo vocatur μουνογενὴς τοκῆος [7]), θεοῦ γόνος [8]), ergo haud αὐτόγονος est. Sed verba mendosa mutuatus est ab antiquis scriptoribus ethnicis, ut indicaret Deum esse aeternum.

N. 74. Εὐώδιν — Par. I, 155; 170; XIX, 143.

partus doloribus felix: Dion. IX, 24: μηρός (Διός).

partu fecunda: Par. I, 155: θάλασσα, Dion. XIII, 187: Ἀφίδνη, XIII, 467: Σάρδις, XLVIII, 240: Ῥείη.

partu felix i. e. quae bonos vel pulchros filios habet: Par. I, 170;

---

[1]) Par. I, 58; III, 82; praeterea I, 25.
[2]) Par. I, 44 †; cf. Soph. Trach. 826: αὐτόπαις, Eur. Alc. 906: μονόπαις.
[3]) Par. III, 98; praeterea V, 99 de Filio Dei Patris; IV, 226: de filio reguli.
[4]) Par. III, 35. [5]) Dion. II, 494. [6]) Dion. XLVIII, 13.
[7]) Par. I, 58. [8]) Par. I, 3.

poëta fortasse Bethsaïda vocat *πόλιν εὐώδινα*, propterea quod Petrus et Andreas ibi nati sunt; confer

Par. XXI, 91: *Σίμων, ἀγλαόπαιδος Ἰωάνναο γενέθλη,*

vel quod Bethsaïda partu fecunda civitas est; XIX, 143. felici partu editus:

Dion. XIV, 148: *καὶ Διὸς εὐώδινα τιθηνήσαντο γενέθλην.*

Hujus vocis *εὐώδιν* verba synonyma *πολύπαις, πολύτεκνος, πολυτόκος, καλλίπαις, καλλίτεκνος, καλλιτεξ, καλλιτόκος* Dion. XLII, 461, *εὔπαις* Dion. XXIV, 86, *εὔτεκνος, εὔτοκος*, in Paraphrasi non occurrunt neque in N[1]. T[1]. libris, voce *εὐώδιν* non excepta.

Ὅσιος — Par. I, 182; VII, 6; 33; 87; XIII, 56; 140; XVI, 70; 98; XVIII, 95. N. 75.

Voces *ἱερός, ὅσιος* et *δίκαιος* ita inter se discernuntur.

a: *ἱερόν* est „id quod ipsum ad deum pertinet", ut Par. X, 82: *ἱεροῖο νηοῦ·* vocabulum in Paraphrasi legitur novies; cf. *ἱερῆες* i. e. sacerdotes, Par. XIX, 161, decies. Apud Joannem scriptum est I, 19: *ἱερεῖς*†, ubi Par. I, 62 occurrit *ἱερῆας*. Praeterea voce *ἱερόν* in evangelio undecies de templo dicitur[1]);

b: *ὅσιον*, „id, quod est secundum jus divinum"; quamobrem propria hujus vocis vis pertinet ad res, deinde latius extenditur ad homines. Itaque Nonnus, excepto de Josepho loco Par. I, 182, semper hoc vocabulum de rebus adhibet, sc. de pernicie, de die festo, de circumcisione, de pedibus discipulorum, de caritatis vinculo[2]), de factis non piis, de precibus, de doctrina. Marcellus pro Par. VII, 6: *ὁσίῳ χαίροντες ὀλέθρῳ* scribit: *ὁσίου χαίροντες ὀλέθρῳ*[3]), quo paraphrastam, non textum mihi correxisse videtur. Nam attente legentem fallere non potest insolitas hujusmodi dictiones a Nonniano dicendi genere non abhorrere. Sive enim haec verba: *ὁσίῳ ὀλέθρῳ* dicas idem valere ac: „sancti pernicie", sive: „pernicie, quae est causa justitiae", sive: „pernicie, Dei voluntate peracta", de singulis hujusmodi interpretationibus exempla Nonniana afferri possunt, ut de prima: Par. XIX, 198: *νεκρὸν ἀειζώοντα,* XX, 51: *λάλον νέκυν,* de altera: Par. XVIII, 132: *φερέσβιον εἰς μόρον,* IX, 128: *πηλὸν φαεσφόρον·* tertia autem explicatio nititur ipsa vocis *ὅσιος* significatione. Joannes vocem *ὅσιος* non adhibet, sed ne notionem quidem „sancti" exprimit iis locis, ubi Nonnus voce *ὅσιος* utitur;

---

[1]) Cf. n. 47. [2]) *Δεσμῷ* apud Marcell.; in codicibus Par. XIII, 140 *θεσμῷ*.
[3]) Ita quoque Scaliger, ut ait Heinsius, Aristarchus sacer, p. 399.

c: *δίκαιον*, „id, quod est justum", ut Par. XVII, 87: *δίκαιε πάτερ*, sicut Jo. XVIII, 25. Pro verbo *δίκαιος* apud Jo. V, 30: *ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ δικαία ἐστίν*, legitur Par. V, 119: *νημερτὴς δέ μοί ἐστιν ἐμὴ κρίσις*, et pro Jo. VII, 24: *τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε* scriptum est

Par. VII, 93: *ἀλλὰ δίκην κρίνοντες ἀληθέι τάμνετε μύθῳ.*

De his conferas, quaeso, Jo. VIII, 16: *ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ ἀληθινή ἐστιν*, quod Nonnus circumscribit sic:

Par. VIII, 19: *νημερτὴς καὶ ἄμεμπτος ἐμὴ κρίσις.*

Vocabulum *δικαιοσύνη* Joannes ejusque paraphrasta iisdem locis habent, sc. Jo. XVI, 8 = Par. XVI, 30; Jo. XVI, 10 = Par. XVI, 32. Praeterea Nonnus utitur nominibus:

ἅγιος — Par. III, 27; VI, 220; X, 129, quocum cohaerent *ἁγιάζω*, Par. XVII, 56; 59 et *ἁγιασμός*, Par. XVII, 61;

ἁγνός — Par. I, 47; 103; 133; cet. quinquies decies.

Voces *ἁγνός* et *ἅγιος* eandem „sacri, sancti, casti" vim habent. Sed *ἁγνός* est vox poëtica, cum poëtae tragici, excepto forsitan Aesch. Suppl. 858, verbo *ἅγιος* nunquam utuntur et apud scriptores Atticos nomen *ἅγιος* rarum est. Joannes voce *ἁγνός* in evangelio nunquam utitur. Sed, ubi Par. XVII, 36 scriptum legitur: *ἁγνὲ πάτερ*, Jo. XVII, 11 legitur: *πάτερ ἅγιε*. Et Jo. XX, 22: *πνεῦμα ἅγιον* circumscribitur Par. XX, 98: *ἁγνὸν πνεῦμα*. Ceterum Joannes de sanctitate vel castitate mentionem non facit iis locis, quibus Nonnus adhibet vocem *ἁγνός*, sc. Par. XIII, 56 de Domino Jesu; I, 47, 103, 133, V, 127 de Joanne Baptista; III, 111, VII, 4, XI, 219 de terra Judaeorum; VII, 35 de terra Galilaeorum; II, 29 de aqua lustrali; XVIII, 139 de praetorio Pilati; XVI, 101 de amore Dei; II, 87 de templo. At I Jo. III, 3 occurrit *ἁγνός*. Verbum *ἁγνίζω* legitur semel Jo. XI, 55†: *ἵνα ἁγνίσωσιν ἑαυτούς*, id quod circumscribitur

Par. XI, 225: *ὄφρα προφοιβήσωσι δέμας ζαθέοισι καθαρμοῖς.*

Occurrit iterum I Jo. III, 3.

Verbum *ἅγιος* in evangelio Joanneo legitur sexies; quater, sc. Jo. I, 33, VII, 39, XIV, 26, XX, 22 de Spiritu Sancto. Primo loco omittitur a Nonno, sed Par. III, 27 additur; item secundo loco, quo non omnes evangelii codices vocem *ἅγιος* adscriptam habent; tertio loco non circumscribit haec Jo. XIV, 26: *τὸ πνεῦμα ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου·* quarto loco legitur *ἁγνόν*. De Filio Dei vox *ἅγιος* legitur in Paraphrasi eodem, quo in evangelio, loco, sc. Par. VI, 220 = Jo. VI, 69. Par. XVII, 36 scriptum est: *ἁγνὲ πάτερ*, pro Jo. XVII, 11: *πάτερ ἅγιε*, sicut supra dictum est.

Verbum ἁγιάζω legitur Jo. XVII, 17; 17; 19, ubi Par. XVII, 56; 59 idem vocabulum legitur. Sed Jo. X, 36, ubi idem verbum scriptum est, explicatur Par. X, 129: ὃν ὑψιμέδων πόρε κόσμῳ
130: καὶ καθαρῆς παλάμης ἁγίῳ σφρηγίσσατο δεσμῷ.
Denique Jo. XVII, 19: ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ circumscribitur
Par. XVII, 61: καὶ καθαροὶ τελέθοιεν ἀληθείης ἁγιασμῷ.
Postremo εὐαγής — Par. II, 71; IV, 91; 107; VIII, 68; 149; XVIII, 97; εὐαγέως XIV, 80 legitur. Significat: „sacer, sanctus, religiosus". Dicitur de civitate Hierosolymitana, de sacrificiis, de altaribus, de divinis honoribus, de synagogis, de casto Dei amore. De desideriis religiosis, quibus Filius hominis celebratur, legitur
Par. VIII, 68: ὁππόταν εὐαγέεσσιν ἀνυψώσητε μενοιναῖς
69: ἀνθρώπου σοφὸν υἷα. Singularis igitur est Nonnus in explicandis verbis Joanneis VIII, 28: ὅταν ὑψώσητε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Solent enim explicari de Christi supplicio, quo a terra exaltatur[1]), non autem de religiosis hominibus, qni Deum piis desideriis colunt. Tamen Ammonius, Alexandrinae ecclesiae presbyter, in eadem fere ac Nonnus sententia est, quippe qui verba Jo. III, 14: ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου de Christo glorificato explicat [2]).
De voce ζάθεος dicetur n. 88. Excepta hac voce, omnia hujus numeri vocabula in N[i]. T[i]. scriptis occurrunt.

Γνωτός — Par. II, 65; VII, 9; 36; XI, 10; 67; 79; XVIII, 72; XXI, 130. N. 76.
qui notus est alicui: Par. XVIII, 72; cf. Hom. Il. VII; 401; Od. XXIV, 182.
cognatus: Dion. XLVIII, 175, de Baccho, cognato Cupidinis. Sed raro Cupido dicitur filius Jovis, ita ut sit frater Bacchi.
frater, soror: Par. II, 65; VII, 9; 36; XI, 10; 67; 79; XXI, 130; Dion. II, 276 de Oceano, Thyphoei fratre; II, 338 de Saturno, Typhoei fratre; cf. Hom. Il. XIV, 485, XV, 336. Aristarchus pro certo affirmat vocabulum γνωτός apud Homerum, quoad significat propinquitatem, semper idem valere ac: „frater, soror" [3]). Id Nonno ignotum esse non potuit.
ἀδελφε(ι)ός — Par. I, 150; VI, 24; VII, 21; XI, 76.
frater: Par. ll. ll.; Dion. II, 335; cf. Hom. Il. II, 586; cet.. Forma vocabuli est Homerica. Propria vis est frater couterinus, sed Il. XIII, 695 et XV, 334 filius Oilei naturalis ita vocatur. Ἀδελφός,

[1]) Cf. Jo. III, 14; XII, 22 sq..
[2]) Cf. Catena Patrum, I.'A. Cramer, Oxonii 1844 l.l.; cf. K. Kuiper, o. l. p. 355 [1]).
[3]) Cf. G. Dindorf, Schol. graeca in Il. Tom. II, ll.ll..

ἀδελφή non legitur in Paraphrasi. Est quoque, ubi Nonnus vincula propinquitatis, ab Joanne indicata, non designet, ut Par. XI, 1—3, ubi *τῆς ἀδελφῆς* omittit, et XI, 21; 117, ubi nomina propria Mariae et Lazari substituit[1]).

κασίγνητος — Par. XX, 76 †.

cognatus: cf. Hom. Il. XV, 545.

frater: Par. XX, 76; Dion. II, 681; 690 de fratribus Cadmi; XXXIII, 47 de Baccho, Veneris fratre; cf. Hom. Il. XI, 257: *κασίγνητον καὶ ὄπατρον*. Vox poëtica est.

σύγγονος — Par. I, 155; 157; III, 99; IX, 162; XI, 9; XIV, 63; XIX, 136.

cognatus: Par. I, 155; 157; XI, 9 frater; Dion. II, 694 soror; Par. XIX, 136 cognata.

id, quod pertinet ad aliquid: Par. III, 99: *κρίσις*,

IX, 162: *σύγγονος ἀμπλακίῃσιν ἐμαιώθης ὅλος ἀνήρ*,

XIV, 63: *παράκλητον Χριστῷ σύγγονον*, Dion. II, 331: *ὕδωρ*.

Vox est poëtica, quae tamen apud Homerum non occurrit.

ὁμόγνιος — Par. I, 159; XI, 10; 92; 139; XVIII, 124.

cognatus: Par. I, 159; XI, 10 frater; XI, 92; 139 soror; XVIII, 124 cognatus Malchi; Dion. XXXIX, 103 Bacchus, frater collactaneus Melicertis. Haec vox poëtica apud Homerum non legitur.

ὁμόγνητος — Par. IV, 197 †.

cognatus: Dion. XXXVII, 192.

popularis: Par. IV, 197.

ὁμογάστριος — Par. XXI, 5 †.

frater uterinus: Par. l.l.; cf. Hom. Il. XXI, 95; XXIV, 47: *κασίγνητος ὁμογάστριος*.

In Joannis evangelio et in ceteris N^i^. T^i^. libris legitur tantummodo scriptum *ἀδελφός, ἀδελφή*. Sed occurrunt *γνωστός* i. e. „notus" Jo. XVIII, 15; *συγγενής* Jo. XVIII, 26 de cognato Malchi.

N. 77. *Τετράζυξ* — Par. III, 82; VII, 9; XIX, 74; XX, 94.

In Paraphrasi leguntur:

ἄζυξ — Par. XVIII, 113 (ita Scheindler, sed *δίζυγι* vulgo), XIX, 95; Dion. I, 98; 345; XLII, 127.

δίζυξ — Par. I. 75; IV, 191; XII, 62; XIII, 15; XIX, 201; Dion. VIII, 17; XI, 5; XXII, 352.

δίζυγος — Par. I, 139; XI, 25.

---

[1]) Cf. Jo. XI, 1; 5; 32.

τετράζυξ — Par. II. II.; Dion. II, 422; VII, 6; XII, 169.
ὁμόζυξ — Par. II, 25; VI, 89; X, 85; cet. decies; Dion. I, 438; II, 423; XLVIII, 126.
ὁμόζυγος — Par. VI, 167; X, 138; Dion. I, 495; IX, 122; XLVIII, 171.
ὁμοζυγής — Par. IV, 142; VII, 52; XIII, 100; cet. septies; Dion. II, 215.
σύζυξ — Par. I, 41; VI, 28; XVII, 68; 74; XX, 28; Dion. II, 587.
σύζυγος — Par. XIV, 36 †.
ἰσόζυξ — Par. V, 104; VI, 171; Dion. I, 191.
ἰσόζυγος — Par. V, 85; XIV, 71; Dion. I, 183.

Praeterea in Dionysiacis legitur
τετράζυγος — Dion. I, 473; II, 524; XII, 107.
νεοζυγής — Dion. XLVIII, 237.

Omnia haec vocabula praesertim apud poëtas usitata sunt. Tantummodo δίζυξ apud Homerum Il. V, 125, X, 473, σύζυγος non nisi Phil. IV, 3 legitur. Forma nominativi in –ζυξ nusquam occurrit. Propria omnium harum vocum vis est: „bijugus, quadrijugus" cet., sed latius eadem extenditur ad significationem: „duplex, quadruplex" cet., quin immo: „duo, quatuor" cet.. Sic

ἄζυξ — non (matrimonio) junctus, non sub jugum missus, simplex, unus.

δίζυξ — bijugus: Par. IV, 191 Eos (cf. contra: Par. XI, 24: διχθαδίης ἠοῦς).
duplex: Dion. VIII, 17 de tibia; XI, 5 de victoria.
duo: Par. XI, 25: δίζυγον ἦμαρ.

τετράζυξ — quadrijugus: Dion. I, 473: τετράζυγον ἅρμα.
quadruplex: Dion. XII, 107: τετράζυγος ὀμφή.
quatuor: Par. VII, 9: υἷες Ἰωσήφ.

ὁμόζυξ — sub eodem jugo conjunctus: Dion. II, 423: ἵπποι ὁμόζυγες.
matrimonio junctus, apud scriptores Ecclesiae.
quocumque modo conjunctus: Par. II, 25: ἀμφιφορῆες.

σύζυξ = ὁμόζυξ.

ἰσόζυξ — aequalis, communis:
Par. V, 85: υἱέα τιμήσωσιν ἰσόζυγον ᾧ γενετῆρι.

νεοζυγής — recens conjunctus: Dion. XLVIII, 237.

Ἄνασσα — Par. XIX, 145 †. N. 78.

Vocabulum ἄνασσα in Paraphrasi non designat deam sed reginam, dominam. Hoc demonstratur comparata voce ἄναξ. Nam primum ἄναξ dicitur apud Homerum non solum de diis sed etiam de hominibus nobilibus, de dominis, quibus subjecti sunt δοῦλοι,

de quibuscunque cujusvis rei ducibus, ut Il. I, 7: *Ἀτρεΐδης τε ἄναξ ἀνδρῶν*, Od. I, 397: *οἴκοιο ἄναξ καὶ δμώων*,

Od. XX, 194: *ἔοικε δέμας βασιλῆι ἄνακτι* [1]·

195: *ἀλλὰ θεοὶ δυόωσι πολυπλάγκτους ἀνθρώπους,*

196: *ὁππότε καὶ βασιλεῦσιν ἐπικλώσωνται ὀιζύν.*

Easdem significationes poëtae tragici huic voci attribuunt, ut Aesch. Pers. 383: *ναῶν ἄνακτες*. Ergo, quamquam in Dionysiacis dii appellantur *ἄνακτες*, ut Dion. II, 209: *Ζεῦ ἄνα*, XLVIII, 82: *Βάκχος ἄναξ*, 231: *ἄναξ ἐναγώνιος Ἑρμῆς*, imo in Paraphrasi *ἄναξ* semper fere de Christo dicitur, tamen hoc epithethon Deo tantummodo in Paraphrasi attribui posse e propria vocis significatione effici nequit, praesertim cum in Paraphrasi *ἄναξ*, quo vocabulo septuagies quater Nonnus utitur, aliquoties dicatur de hominibus, ut

Par. XIII, 74: *οὐ πέλε λάτρις ἄνακτος ὑπέρτερος,*

XIX, 58: *πᾶς γὰρ ἑαυτὸν ἄνακτα λέγων ψευδήμονι μύθῳ*

59: *Καίσαρι Τιβερίῳ ψευδώνυμος οὗτος ἐρίζει.*

Quin etiam neque in Paraphrasi neque in Joannis evangelio, exceptis vocibus *θεός* [2]) et *θεοῦ υἱός* [3]), Christus honorifice appellatur appellatione, quae hominibus non contingit, sed illi soli attribuitur, ut omittam vocem *ἡγήτηρ*, quae forte de Christo idque semel dicitur [4]), et *παμβασιλεύς*, quae Christo utpote Deo contingit fortasse Par. I, 85, Deo Patri V, 162. Sed omnia vocabula honorifice de Christo dicta: *ἄναξ*, *βασιλεύς* [5]), *κοίρανος* [6]), *ὄρχαμος* [7]), *ἡγεμονεύς* [8]), quae Nonnus adhibet, *βασιλεύς* [9]), *κύριος* [10]), quae in evangelio leguntur, eadem dicuntur de hominibus. Atqui eadem ratio, quae intercedit inter *ἄνακτα* et divum aut dominum, intercedit inter *ἄνασσαν* et divam aut dominam. Praeterea *ἄναξ* pro *ἄνασσα* legitur, e. g. apud Pindarum:

ναίεις Ἀκράγαντος ἐύδματον κολώναν, ὦ Fάνα [11]).

Deinde poëtae tragici voce *ἄνασσα* utuntur pro domina, regina, ut Eur. Pers. 155 de Atossa:

Ὦ βαθυζώνων ἄνασσα Περσίδων ὑπερτάτη,

Eur. Pers. 173 de eadem: *γῆς ἄνασσα τῆσδε*, Soph. Aj. 774 de Tecmessa. Quare paraphrasta, quamquam vocabulum *ἄνασσα* ple-

---

[1]) Cf. Eur. Or. 342: *ἄναξ βασιλεύς*.
[2]) Jo. XX, 28; Par. I, 157; cet..
[3]) Jo. III, 18; cet.; Par. I, 202; cet..
[4]) Par. XIII, 67 †.
[5]) Par. III, 123; cet..
[6]) Par. XV, 55; cet..
[7]) Par. XVIII, 163.
[8]) Par. XVIII, 131.
[9]) Jo. I, 49; cet..
[10]) Jo. IV, 11; cet..
[11]) Pind. Pyth. XII, 3.

rumque praedicatur de divis atque in Dionysiacis de divis persaepe dicitur[1]), eadem voce de Maria Domina et Regina uti potuit, et revera usus est, quippe qui nunquam Mariae virgini divinum honorem nomenque tribuat. Ceteroqui, sicut *ἄνακες* regum cognati, ita *ἄνασσαι* cognatae regum vocantur.
Voces *παντάναξ* et *παντάνασσα, δεσπότης* et *δεσπότις*[2]) in Paraphrasi non leguntur neque in Joannis evangelio.

Διφήτωρ — Par. XX, 17; XXI, 35, scrutator; Anth. VIII, 230: N. 79.
χρυσοῦ, Opp. Hal. 2, 435: *βυθῶν*.

Ἐργατίνης — Par. I, 163 †, operarius; Maced. 18 (XI, 58): *ἀνέρες*, VI, 228; Paul. Sil. 12 (V, 275): *Κύπριδος*, cet.; Theocr. 21, 3; 10, 1:

Ἐργατίνα βουκαῖε, τί νῦν οἰζυρὲ πεπόνθεις;

Apoll. Rh. 2, 663; 3, 1323:

Ἐργατίνης ὥς τίς τε Πελασγίδι νύσσεν ἀκαίνῃ.

Ἐρευνητήρ — Par, I, 155 †; Dion. II, 25, scrutator.

Ἐρευνητής — Parthen. 1. 1; Clearch. ap. Athen. VI, 256.

Ἰχθυβόλος — Par. I, 150; XXI, 28; 42.

Vis vocabuli est: „qui pisces (cum tridente) figit", „piscator". Occurrit Opp. Hall. 3, 18: *δεῖπνα*, Epigr. ad. 128 (VI, 23):

Εὐστιβὲς αἰθυίαις ἰχθυβόλοισι λέπας.

Cf. Epigr. ad. 129; Anth. VII, 295; IX, 227.

Ἰχθυβολεύς — Par. VI, 24; XXI, 24; Nic. Ther. 793:

Τοὺς ἁλὸς ἐξερύουσι δελαστρέες ἰχθυβολῆες.

Cf. Leon. Tar. 93: *σκάρος* (VII, 504); Anth. P. X, 9.

Ἰχθυοβόλος — Phryn. 679, ed. Lobeck.

Λινοπλόκος — Par. XXI, 9 †, retia nectens.

Ὑγροπόρος — Par. VI, 24 †, humidum, aquam pervadens; Dion. X, 123: *δαίμονες*, XXII, 182: *λέοντες*, XXV, 67: *κυδοιμός*, XLII, 118: *ὑμέναιος*.

Θρασύς — Par. I, 73; 176; IV, 134; V, 52; VII, 18; 177; VIII, 43; 113; N. 80.
141; IX, 74; 130; XIII, 106; XVIII, 8; 31; 51; 64; 109; 153; XX, 107; XXI, 71; 102; Dion. II, 223; 255; 448; 578; XI, 167; 185.

Θρασυεργός — Par. XIX, 68 †; Dion. XXXV, 365.

Θαρσαλέος — Par. XVI, 128 †.

Θαρσήεις — Par. VII, 28; XII, 141; Dion. XIII, 562.

Θαρσύνω — Par. I, 205; IV, 224; V, 29.

---

[1]) Cf. Dion. XXXIII, 48 de Venere; XLVIII, 315; 330; 344; 378 de Artemide.
[2]) Cf. Dion. XLVIII, 302 de Artemide.

θαρσέω — Jo. XVI, 33†; Matth. IX, 2; 22; cet..
θάρσος — Act. XXVIII, 15†.

Propria vocum *θρασύς* cet. vis videtur esse „fortis, audere, forti animo esse". Sic in Iliade imprimis persaepe vocabulum *θρασύς* legimus scriptum de viris fortissimis, ut de Hectore: Il. XII, 60: *δὴ τότε Πουλυδάμας θρασὺν Ἕκτορα εἶπε παραστάς* [1]), praeterea in Pindari carminibus, ut Pyth. X, 44 sq.: *θρασεῖ —*

ᾳ δὲ πνέων καρδίᾳ
μόλεν Δανάας ποτὲ παῖς.

Necnon res *θρασεῖαι* dicuntur i. e. fortes, ut *πόλεμος, χεῖρες* [2]). Sed in malam partem, ita ut sit „audax", hanc vocem plerumque accepisse auctores Atticos indicat Aristoteles, quippe qui dicat: *ὁ δὲ τῷ θαρρεῖν ὑπερβάλλων περὶ τὰ φοβερά, θρασύς. Δοκεῖ δὲ καὶ ἀλαζὼν εἶναι ὁ θρασὺς καὶ προσποιητικὸς ἀνδρίας. Ὡς οὖν ἐκεῖνος περὶ τὰ φοβερὰ ἔχει, οὕτως οὗτος βούλεται φαίνεσθαι· ἐν οἷς οὖν δύναται μιμεῖται. Διὸ καὶ εἰσιν οἱ πολλοὶ αὐτῶν θρασύδειλοι· ἐν τούτοις γὰρ θρασυνόμενοι, τὰ φοβερὰ οὐχ ὑπομένουσιν. Ὁ δὲ τῷ φοβεῖσθαι ὑπερβάλλων, δειλός· καὶ γὰρ ἃ μὴ δεῖ, καὶ ὡς οὐ δεῖ, καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα ἀκολουθεῖ αὐτῷ· ἐλλείπει δὲ καὶ τῷ θαρρεῖν· .... πάντα γὰρ φοβεῖται· ὁ δὲ ἀνδρεῖος, ἐναντίος· τὸ γὰρ θαρρεῖν εὐέλπιδος. περὶ ταὐτὰ μὲν οὖν ἐστιν ὅ τε δειλὸς καὶ ὁ θρασὺς καὶ ὁ ἀνδρεῖος· διαφόρως δ' ἔχουσι πρὸς αὐτά· οἱ μὲν γὰρ ὑπερβάλλουσι καὶ ἐλλείπουσιν· ὁ δὲ μέσως ἔχει, καὶ ὡς δεῖ· καὶ οἱ μὲν θρασεῖς προπετεῖς καὶ βουλόμενοι πρὸ τῶν κινδύνων, ἐν αὐτοῖς ἀφίστανται· οἱ δ' ἀνδρεῖοι, ἐν τοῖς ἔργοις ὀξεῖς· πρότερον δ' ἡσύχιοι* [3]). Testes autem sunt Soph. Phil. 1307 sq.: *κακοὺς|*

ὄντας πρὸς αἰχμήν, ἐν δὲ τοῖς λόγοις θρασεῖς,

Eur. I. T. 275: *ἄλλος δέ τις μάταιος, ἀνομίᾳ θρασύς,*

Aristoph. Eq. 181: *ὅτι ἡ πονηρὸς καὶ ἐξ ἀγορᾶς εἶ καὶ θρασύς,*

Plat. Prot. 360 B: *οὐκοῦν καὶ οἱ δειλοὶ καὶ οἱ θρασεῖς καὶ οἱ μαινόμενοι τοὐναντίον αἰσχροὺς τε φόβους φοβοῦνται καὶ αἰσχρὰ θάρρη θαρροῦσιν;* Dem. p. 1441: *οὐκ ἐπὶ τῶν λόγων θρασύν, ἀλλ' ἐπὶ τῆς παρασκευῆς ἰσχυρὸν εἶναι δεῖ.* Apud poëtas tamen necnon apud Novi Testamenti scriptores propria harum vocum vis, „audere, animus fortis", persaepe servatur. Sic verba *θάρσος* et *θαρσεῖν* in Novo Testamento semper in bonam partem accipiuntur. Sic verba Jo. XVI, 33: *ἀλλὰ θαρσεῖτε,* ipse paraphrasta

---

[1]) Cf. Il. VIII, 89; 126; cet..
[2]) Cf. Il. VI, 254; XVII, 662.
[3]) Arist. Eth. Nic. III, VII, 7—12.

circumscribit Par. XVI, 127 sq.: *ἀλλὰ καμόντες θαρσαλέοι γίνεσθε.* Attamen verbum *θράσος* vitium designat Ep. Barn. XIX, 3: *οὐ δώσεις τῇ ψυχῇ σου θράσος,* Ep. I Clem. XXX, 8: *θράσος καὶ αὐθάδεια καὶ τόλμα τοῖς κατηραμένοις ὑπὸ τοῦ θεοῦ.*

Sed ordine dicam de locis, quibus voces *θρασύς* cet. in Paraphrasi occurrunt, exceptis iis, quibus de Petro agitur; idque primum de illis vocabulis, quatenus vim „audax, impudens" habeant, deinde de iisdem in bonam partem acceptis. Vis autem audacis inest his versibus:

Par. I, 73: *καὶ θρασὺς ἑσμὸς ἔειπεν ἀνιπτοπόδων ἱερήων,*
ubi agitur de sacerdotibus Joannem Baptistam importune interrogantibus;

Par. VII, 18: *ἀμφαδίην δ' ἐθέλει θρασὺς ἔμμεναι,*
quo fratres Christum vituperant;

Par. VII, 177: *καὶ θρασὺς εἶπεν ὅμιλος ἀκηλήτων Φαρισαίων,*
quippe qui ministros, propterea quod Christum non adduxerunt, reprehendant;

Par. VIII, 43: *καὶ θρασὺς Ἑβραίων κυμαίνετο λαὸς ἀκούων,*
Par. VIII, 113: *καὶ θρασὺς Ἑβραίων πάλιν ἔννεπε λαὸς ἀκούων,*
Par. VIII, 141: *καὶ θρασὺς Ἑβραίων ἐπεπάφλασε λαὸς ἀκούων,*
cum Hebraei indignati cum Christo verbis disceptant;

Par. XVIII, 8: *καὶ θρασὺς ᾔδεε κεῖνο φυτηκόμον ἄλσος Ἰούδας,*
Par. XVIII, 31: *καὶ θρασὺς ἀντιβίοισι παρίστατο πομπὸς Ἰούδας,*
ubi Judas Iscariotes Christum tradens inducitur;

Par. XVIII, 64: *Καϊάφα γὰρ ἔην ἑκυρὸς θρασύς,* i. e. Annas pontifex;

Par. XVIII, 109: *εἰ θρασὺς ὡμίλησα κακῶς ἀεσίφρονι θυμῷ,*
quo circumscribitur Jo. XVIII, 23: *εἰ κακῶς ἐλάλησα,*

Par. XVIII, 153: *καὶ θρασὺς ἑσμὸς ἔειπε,* ubi Judaei ira accensi Pilato respondent sibi non licere aliquem morte multare;

Par. XX, 107: *ὁ δὲ θρασὺ χεῖλος ἀνοίξας*
108: *ἔννεπε μῦθον ἄπιστον* cet., de Thoma Didymo, Christum discipulis apparuisse vivum negante;

Par. XIX, 68: *καὶ Πιλάτος θρασύεργος ἐπ' εὐλάιγγι θοώκῳ*
69: *Ἑβραίοις ἐβόησεν,* quo Pilatus Judaeis respondet Jo. XIX, 15: *ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν,*

Par. VII, 27: *ἐμὲ δὲ στυγέει καὶ ἐλαύνει*
28: *θαρσήεις,* sc. mundus audax Christum odit.

Verum homines laude dignos *θρασεῖς* vocat

Par. V, 52: *καὶ θ ρ α σ ὺ ς Ἑβραίοισι παλίνδρομος ἄ γ γ ε λ ο ς ἔστη*, etenim vir Bethesdae a Domino sanatus forti animo Christum esse, qui ipsum mirum in modum sanavit, profitetur;

Par. IX, 74: *πῶς βλεφάρων λάχε φέγγος; ὁ δὲ θ ρ α σ ὺ ς ἴαχεν ἀ ν ή ρ*,
130: *Ἑβραίοις δ' ἀγόρευεν ἀ ν ὴ ρ θ ρ α σ ύ ς*, ubi homo caecus natus fortis verum dicit iis, qui ipsum interrogant, quid de Christo sentiat;

Par. XIII, 106: *ὁ δὲ θ ρ α σ ὺ ς ὀξέι παλμῷ*
107: *στήθεσιν ἀχράντοισι πεσὼν π ε φ ι λ η μ έ ν ο ς ἀ ν ή ρ* cet., ubi agitur de Joanne apostolo, qui Christum interrogare audet, amoris certus;

Par. XII, 141: *στείχετε θ α ρ σ ή ε ν τ ε ς, ἕως ἑκάς ἐστιν ὀμίχλη*, quo Christus discipulos hortatur, ut animo forti sint, dum ipsum secum habeant;

Par. I, 205: *καί μιν ἄναξ θ ά ρ σ υ ν ε ν ἐς ἐλπίδα φέρτερον ἕλκων*,
Par. IV, 224: *καί μιν ἄναξ θ ά ρ σ υ ν ε ν ἑῷ ζωαρκέι μύθῳ*,
Par. V, 29: *καί μιν ἄναξ θ ά ρ σ υ ν ε ν ἑῷ ζωαρκέι φωνῇ*,
quos versus explanare opus haud est.

N. 81. *Α ἰ ο λ ό μ η τ ι ς* — Par. XXI, 120†.
Vocabulum simplex *αἰόλος* bis est in Paraphrasi:

Par. III, 114: *γαίης α ἰ ό λ α φ ῦ λ α σοφῷ βάπτιζε ῥεέθρῳ*,
XVI, 62: *Ἰησοῦς δ' ἑ τ ά ρ ω ν δεδαημένος α ἰ ό λ ο ν ἦ θ ο ς*.

Vis autem propria hujus vocis est „m o b i l i s", ut patet Il. XII, 167: *σ φ ῆ κ ε ς μέσον α ἰ ό λ ο ι*, 208: *α ἰ ό λ ο ν ὄ φ ι ν*, XXII, 509: *α ἰ ό λ α ι ε ὐ λ α ί*. Ita Par. XVI, 62 de animo mobili dicitur [1]). Deinde latius patet, ita ut significet: „v a r i u s". Sic Dion. I, 227: *σ τ ρ α τ ὸ ς α ἰ ό λ ο ς*, II, 513: *α ἰ ό λ α φ ῦ λ α* [2]) *δ ρ α κ ό ν τ ω ν*, XLII, 29: *α ἰ ό λ α δ ε ῖ π ν α τ ρ α π έ ζ η ς*. Ita quoque Par. III, 114, conjuncta significatione „mobilis". Notio autem „varius" subjicitur uni vocabulo composito, cujus prima pars est *αἰόλος*, praeter *αἰολόμητις* vocabulum, sc. *α ἰ ο λ ό μ ο ρ φ ο ς* Par. X, 15†, de ovium grege dicto i. e. „multiformis". Sed in Dionysiacis occurrunt

α ἰ ο λ ό δ α κ ρ υ ς: celeritur sive abunde lacrimans [3]);
α ἰ ο λ ό μ ο λ π ο ς: celeribus numeris varia syrinx [4]);
α ἰ ο λ ό μ υ θ ο ς: verbis celeribus varius, sc.

Dion. per. VIII: *ὄγδοον α ἰ ο λ ό μ υ θ ο ν ἔχει φ θ ό ν ο ν ἄγριον Ἥ ρ η ς*,

---

[1]) Contra Heinsius: varium cor.
[2]) Cf. Opp. Hal. 617: *αἰολόφυλος*.
[3]) Cf. Dion. XXVI, 79; XLIII, 365.
[4]) Cf. Dion. XL, 223.

αἰολόδειρος: qui variis faucibus est[1]);
αἰολόνωτος: cui est pictum tergum[2]);
αἰολόπεπλος: qui habet variam vestem[3]);
αἰολόφωνος: varios numeros effundens cithara[4]).

Vocabulum μῆτις Nonnus adhibet Par. IX, 87 bis, ubi Pharisaei hominem caecum natum, a Christo sanatum, interrogant, quid de Domino sentiat, et Par. XI, 214, quo poëta circumscribit verbum Joanneum ἐβουλεύσαντο[5]). Ceterum nominibus compositis in -μητις, quorum nonnulla ipse formasse videtur, utitur plurimis, sc.

ἀγκυλόμητις — Par. IV, 75; X, 47; XI, 215; 234: callidus, de muliere Samaritana, de lupo oves rapiente, de Pharisaeis; cf. ἀγκυλομήτης Il. IV, 59; XII, 450.

αἰολόμητις — Par. XXI, 120†; Dion. I, 279; cf. Opp. Hal. II, 563; Mus. 198: qui est mobilis et varii ingenii, sicut Opp. Cyn. I. 452: αἰολόβουλος. Eandem fere vim habet ac

ποικιλόμητις (-ήτης) — Dion. VIII, 125; cf. Il. XI, 482†; Od. III, 163; cet..

διχόμητις — Par. VII, 167; XI, 146; XX, 132: duplicis consilii, de discordia, de fide Marthae, de Thoma Didymo.

ἐμπεδόμητις — Par. X, 63: XV, 17: firmi consilii, de fato deque homine firmae fidei.

θεόμητις — Par. VIII, 121 †, de Christi voce „divinae sapientiae plena".

ταχύμητις — Par. I, 184; XIX, 16: celeris consilii, de Nathanael et de Pilato.

ὑστερόμητις — Par. XX, 130†, de Thoma Didymo „sero sapiente"; Dion. II, 8. Praeterea

δολόμητις — Dion. II, 576; VIII, 176: astutus.

Excepto solo vocabulo ἀγκυλόμητις, cetera occurrunt apud Nonnum fere solum. Composita, quorum altera par est -αίολος, ut Il. II, 816: κορυθαίολος, IV, 186: παναίολος non adhibet.

Πειθήμων — Par. I, 153; III, 77; IV, 70 cet. decies. N. 82.

Nonnus plurimis utitur adjectivis in -ήμων, sc.

ἀδαήμων — Par. I, 130; VII, 157; IX, 185; cf. Il. V, 634; Od. XVII, 283.

ἀλήμων — Par. IV, 4; VI, 108; IX, 186; XVII, 26; XXI, 136; cf. Od. XVII, 376; XIX, 74.

ἀλιτήμων — Par. XVI, 29†; cf. Il. XXIV, 157; 186.

γοήμων — Par. XI, 62; XX, 49.

---

[1]) Cf. Dion. XII, 76; XXXVII, 617. [2]) Cf. Dion. XXXVII, 488.
[3]) Cf. Dion. VII, 173. [4]) Cf. Dion. VIII, 233. [5]) Jo. XI, 53.

δαήμων — Par. III, 135; IX, 165; XIII, 64; cet. octies; cf. Il. XV, 411; XXIII, 671; Od. VIII, 159.

διζήμων — Par. VIII, 42 †.

ἐθήμων — Par. V, 14; VII, 26; 84; cet. decies quater; Dion. I, 279; 309; 433; cf. Mus. 312; cf. ἠθάς — Par. I, 57; 133; III, 146; cet. undetricies; Dion. II, 5.

ζηλήμων — Par. IV, 196; V, 53; XIX, 24; cf. Od. V, 118 †.

θελήμων — Par. V, 159; VII, 114; XIX, 85; 160; XX, 139; Dion. XLVIII, 138.

ληθήμων — Par. III, 72 †.

μαχήμων — Par. XVIII, 36 †; Dion. XLVIII, 64; cf. Il. XII, 247 †.

νεμεσήμων — Par. IV, 218; VII, 183; XI, 32; XV, 93; XVIII, 110.

νοήμων — Par. IV, 150; 170; XV, 77; XXI, 98; cf. Od. II, 282; III, 133; XIII, 209.

πειθήμων — Par. I, 153; III, 77; IV, 70; V, 90; VI, 221; IX, 88; 115; X, 144; XI, 137; XIII, 41; Dion. VIII, 165; XLII, 113; cf. Christod. [1]) Ecphr. 242, 12.

Haec vox significat: „o b e d i e n s, o b s e q u e n s", deinde: „i s, q u i c r e d i t", tum etiam: „p e r s u a d e n s". Sic πειθήμονι μύθῳ in

Dion. VIII, 165: ὡς φαμένης ἀπάμειπτο θεὰ *πειθήμονι μύθῳ*,

significat: „obsequente voce";

Par. IX, 88: ἀρτιφαὴς δ' ἀδόνητος ἀνὴρ *πειθήμονι μύθῳ*,

„fideli voce"; et πειθήμονι φωνῇ

Par. IV, 70: Ἰησοῦν δ' ἱκέτευε γυνὴ *πειθήμονι φωνῇ*,

„persuadente voce"; item Thryphiod. [2]) Hal. Il. 426.

Cf. *πειθήνιος* † in

Par. III, 8: καί οἱ μῦθον ἔλεξε θεῷ *πειθήνιος ἀνήρ*,

Dion. XLII, 321: θελγομένην ἀχάλινον ἔχων *πειθήνιον ἥβην*
322: Βάκχον Ἔρως τόξευεν.

Contra: βραδυπειθής †

Par. III, 95: ἀνὴρ κέκριται οὗτος, ὅτι *βραδυπειθέι θυμῷ*
96: οὔπω πίστιν ἔδεκτο cet.; cf. Dion. XLII, 57.

τεχνήμων — Par. I, 6; IX, 135; Dion. XLII, 81; 138.

ψευδήμων — Par. VIII, 132; XVIII, 122; XIX, 13; 58; Dion. XLII, 157.

Sic: *αἰδήμων* — Dion. XLII, 153; cf. Il. III, 56.

N. 83. Nonnus mire delectatur vocabulis compositis, quorum altera pars est -φανής. Legimus scriptum in Paraphrasi

ἀγχιφανής — Par. I, 153; cet. decies septies; Dion. II, 49; 97; 350; 365.

ἀκροφανής — Par. I, 168; II, 34; VI, 85; XI, 7; XII, 51; XVIII, 24.

---

[1]) Aegyptius sicut Nonnus. [2]) Aegyptius sicut Nonnus.

ἀ λ λ ο φ α ν ή ς — Par. XI, 192; XVIII, 119; Dion. I, 102.

ἀ ρ τ ι φ α ν ή ς — Par. VI, 66; XVI, 77.

μ ε σ σ ο φ α ν ή ς — Par. VI, 7; XVIII, 22; Dion. I, 252; II, 636.

ν υ κ τ ι φ α ν ή ς — Par. III, 7; XX, 4.

ὀ ψ ι φ α ν ή ς — Par. VII, 49; XVI, 81; XX, 91.

π α σ ι φ α ν ή ς — Par. XII, 10 †.

π ρ ω τ ο φ α ν ή ς — Par. II, 55 †.

τ η λ ε φ α ν ή ς — Par. XVI, 23 †; cf. Od. XXIV, 83.

ὑ ψ ι φ α ν ή ς — Par. XIX, 115 †; Dion. II, 120; 438; XLVIII, 78.

Horum nullum habet Homerus nisi semel Od. XXIV, 83: *τηλεφανής* idque in ea Odysseae parte XXIV, 1—204, quam jure ut spuriam rejecit Aristarchus. Utitur, ut patet, iisdem et similibus vocabulis compositis in Dionysiacis, ut

ἡ μ ι φ α ν ή ς — Dion. I, 176; cet., de quo conferas, quaeso, A. Ludwich, Rh. Mus. 68, 1 (1913): Nonniana, p. 95 sq.. Sicut autem *ἡμιφανής* significat: „qui dimidius apparet", ita *ἀ λ λ ο φ α ν ή ς* est: „q u i a l i u s a p p a r e t", ita ut „alius" idem sit atque „a l i e n u s, i g n o t u s". Quod patet legenti

Par. XI, 191: *ἀντίπαλος γὰρ*

192: *ἀ λ λ ο φ α ν ῆ βροτὸς οὗτος ὑ π έ ρ τ ε ρ α σ ή μ α τ α φαίνει.*

Ignorant enim pontifices, qua potestate Christus opera mira faciat seque ignorare confitentur, cum opera ejus vocent *ἀλλοφανῆ ὑπέρτερα σήματα.* Sic Petrus quoque Par. XVIII, 119 appellatur *ἀλλοφανής,* propterea quod ministris videtur aliunde apparens neque sciunt, unde sit.

Composita in *-ηλυς,* quae in Paraphrasi leguntur sunt: N. 84.

ἔ π η λ υ ς — Par. I, 29; VI, 12; IX, 45; XX, 114; Dion. II, 199; 647; cf. *ἐπήλυσις* Dion. II, 183.

κ ά τ η λ υ ς — Par. IV, 217; VIII, 49; Dion. XXXVII, 24.

μ έ τ η λ υ ς — Par. VI, 106; 211; Dion. X, 241; XII, 365; XVIII, 139; XLII, 83.

ν έ η λ υ ς — Par. XIX, 119 †.

ὅ μ η λ υ ς — Par. I, 65; IV, 234; VI, 59; XI, 118; XIX, 110; XXI, 11; 13; Dion. II, 416.

σ ύ ν η λ υ ς — Par. II, 65; XIII, 136; XV, 62; XVII, 75; XIX, 134; 164.

Solo vocabulo *νέηλυς* utitur Homerus Il. X, 434 et 558, de Thracibus eorumque regis Rhesi equis. Semel in Paraphrasi occurrit vox *ἐ π η λ υ σ ί η,* sc. Par. X 4 †, de aditu ovilis dicta. Apud Hom. in Merc. 37, in Cer. 228 significat: „fascinatio".

N. 85. *Κατηφής* — Par. XXI, 104 †; Dion. II, 112; 544; cf. Od. XXIV, 432 †.
κατωπιόων — Par. XIX, 42; XX, 13.
κατήφων — cf. Il. XXIV, 253 †.
κατηφέω — cf. Il. XXII, 293; Od. XVI, 342.
κατηφείη — cf. Il. III, 51; XVI, 498; XVII, 556.

Omnia haec vocabula semper significant: „pudore suffusus, probrosus, pudore perfundi, dedecus". Sic legitur

Od. XXIV, 432: *ἴομεν· ἢ καὶ ἔπειτα κατηφέες ἐσσόμεθ' αἰεί.*
433: *λώβη γὰρ τάδε γ' ἐστὶ καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι,*
Dion. II, 109: *ὣς φαμένη πετάλοισι νόθην ποιήσατο μίτρην,*
110: *καὶ χλοερῷ ζωστῆρι κατέσκεπεν ἄντυγα μαζοῦ*
111: *αἰδομένη, καὶ μηρὸν ἐπεσφηκώσατο μηρῷ·*
112: *ἡ δέ μιν εἰσορόωσα κατηφέα ῥήξατο φωνήν·*
113: *„παρθενίης ἔμφυλον ἔχω φόβον, ὄττι καὶ αὐτὴ*
114: *ἐκ Δάφνης γεγαυῖα διώκομαι, οἷά τε Δάφνη,*
Dion. II, 544: *Ἠέλιον Τιτῆνα κατηφέι λίσσετο φωνῇ.*

Quare assentiri non possum Heinsio, qui Par. XXI, 104 vertit: „subtristi voce". Neque admitto cum eodem vertendum esse

Par. XIX, 42: *κατωπιόων δ' ἐπὶ γαίῃ*
43: *κοίρανος ὄμματα πῆξε,*

per vocem: „mitis". Est enim vis vocabuli *κατωπιόων* „oculis (in terram) demissis", „vultu demisso". Sic autem vertendum esse de Christo, qui a Pilato interrogatus tacet, tam certum est, quam quod certissimum. Nec video, quid obstet, quominus Par. XX, 13: *κατωπιόωντι δὲ Πέτρῳ* iisdem verbis vertatur: „demissis oculis" pro: „placidus", quod Heinsius vertit. Nisi quis existimet improprie Nonnum hoc vocabulo uti, ita ut loco laudato significet: „consideratus, prudens" vel: „perturbatus, commotus animo". Saepe enim meditantis est vel perturbati vultum demittere.

N. 86. Ad exprimendam notionem servi aut famuli Nonnus plura adhibet vocabula, sc. *διάκτορος, θῆτες, δμῶες, ὀπάων, λάτρις, θεράπων δρηστῆρες, ὑποδρηστῆρες, δοῦλος.* Vox Joannea *ὑπηρέτης* [1]) i. e. minister in Paraphrasi non legitur.

Διάκτορος, quae vox apud poëtas usitata est, proprie significat nuntium [2]), deinde „recentiores poëtae de quibusvis dixerunt ministris" [3]). Unde legitur scriptum Etym. M. p. 268, 21: *Παρὰ δὲ τοῖς*

---

[1]) Jo. XVIII, 3; 18.
[2]) Cf. Hom. Il. II, 103: *διάκτορος ἀργειφόντης* i. e. Hermes.
[3]) Stephanus in Thes. s. v. *διάκτορος.*

ἄλλοις ποιηταῖς ἁπλῶς ἐπὶ τοῦ διακόνου τίθεται. Καλλίμαχος ἐπὶ γλαυκὸς τὸ ἐπίθετον,

Ἀλλὰ θεῆς ἥτις με διάκτορον ἔλλαχε Παλλάς [1]).

Apud Nonnum nuntium significat

Par. IV, 98: ὅττι νέον βιότοιο διάκτορος ἔρχεται ὥρη,

Dion. XXXIX, 82: ἀλλὰ θαλασσαίοιο διάκτορα δηιοτῆτος,

83: ἔγχεα cet.. Ceterum in Paraphrasi semper ministros designat[2]), excepto fortasse

Par. XIII, 90: ὅστις ἐμὸν δέξοιτο διάκτορον, ὅντινα πέμψω.

Διακτορία quoque ministerium est[3]).

Θῆτες Par. XVIII, 84† sunt mercenarii.

Δμῶες significant servos[4]), δμωίς[5]) ancilla est. Ambae tamen voces latius quoque patent, ut significent ministros. Nam iidem homines, qui Par. IV, 232 δμῶες dicuntur, Par. IV, 231; 239 ὀπάονες sunt; et Par. XVIII, 54; 118 Malcho et ministris pontificum hoc nomen est, sicut Par. VII, 122.

Λάτρις quoque idem ac minister est[6]).

Θεράπων quater occurrit et significat quodlibet ministrorum genus[7]).

Ὀπάων proprie comes est[8]), ceterum minister[9]).

Δρηστῆρες[10]), δρηστήριον[11]), ὑποδρηστῆρες[12]), quamvis praepositione ὑπό notio obsequendi clarius exprimatur, ministri sunt.

Δοῦλος opponitur κοιράνῳ Par. XV, 55 sq.; βασιλῆι, Par. XV, 82, cum Par. VIII, 90 sq. servum peccati indicat [13]). In evangelio occurrit undecies [14]), sed plerumque Nonnus pro voce δοῦλος alio, quod ministrum indicat, vocabulo utitur. Exceptis igitur vocabulis θῆτες, de quo dijudicari nequit, et δοῦλος, quo vere servus

---

[1]) Cf. Antip. Sid. 92 (Anth. Pal. VII, 16) de aquila Jovis nuntia.

[2]) Cf. Par. I, 216; II, 33; V. 22; cet.. [3]) Par. XII, 8†.

[4]) Cf. Par. II, 23; IV, 232; 237; XVIII, 89; 121.

[5]) Par. XVIII, 78†.

[6]) Cf. Par. II, 46; XIII, 74; XVIII, 52; 108.

[7]) Cf. Par. VII, 173; XIII, 31; XVIII, 123; 124.

[8]) Cf. Il. XVII, 610: ὀπάονά θ' ἡνίοχόν τε.

[9]) Cf. Par. IV, 231; 239; VII, 122; XVIII, 54; 118.

[10]) Cf. Par. II, 15; XV, 25; XVIII, 171; XIX, 27; XXI, 26: ἁλὸς δρηστῆρες.

[11]) Par. XIII, 34†.

[12]) Cf. Par. II, 29; VII, 175; IX, 145; XIII, 54; XIX, 116.

[13]) Cf. Par. VIII, 90; 91; XV, 55; 56; 82; cf. VIII, 95: δούλειον, XIII, 8: δούλιον, XVI, 6: δουλοσύνη.

[14]) Cf. Jo. IV, 51; VIII, 34 sq.; cet..

designatur, luce clarius patet cetera ministrorum vocabula a Nonno promiscue adhiberi. Sic Par. III, 1—60 iidem ministri dicuntur v. 15: δρηστῆρες, v. 23: δμῶες, v. 29: ὑποδρηστῆρες, v. 33: διάκτοροι, v. 46: λάτρις ὅμιλος, sic Malchus dicitur Par. XVIII, 52: λάτρις, διάκτορος, v. 54: ὀπάων, v. 126: θεράπων.

N. 87. Nonnus, cum sit habitus hominum et figurae delineandae cupidus, de ignoto pontificis servo, Christo alapam impingente, dicit

Par. XVIII, 108: Ἰησοῦς δ' ἀγόρευε τανύτριχα λάτριν ἐλέγχων.

Sicut hic capillos servi promissos uno verbo τανύθριξ describit, ita aliis locis de Galilaeorum, Mariae Lazari sororis, capitis cultu loquitur, et Par. XVIII, 92 sq. Annae barbam eandemque Aeonis Par. VI, 178 sq. describit.

Τανύθριξ i. e. qui capillos promissos habet, tantummodo Par. XVIII, 108 occurrit, vocabulum θρίξ, quod unum pro capillis in evangelio Joanneo legitur[1]), nunquam. Galilaei dicuntur τανυπλόκαμοι[2]), ἀκερσίκομοι[3]), ὀπισθόκομοι[4]). Etenim convivae nuptiarum Canae celebratarum jure Galilaei fuisse putantur

Par. II, 6: Χριστὸς ὀπισθοκόμων μερόπων θοινήτορι λαῷ
7: κλητὸς ἔην σύνδορπος.

Τανυπλόκαμος, de Dionyso quoque dicta[5]), vox rara est.

Ἀκερσικόμης (ἀκερσεκόμης), solo nominativo exeunte in -ης, stirpem in -ο habet, apud Homerum semel tantummodo legitur idque de Apolline[6]), in Dionysiacis saepius occurrit, ut de Apolline[7]), de Dionyso

Dion. XLIV, 147: καὶ πλοκάμους τμήξωμεν ἀκερσικόμου Διονύσου.

Ὀπισθόκομος[8]) proprie est is, qui a tergo capillos habet ut

Dion. XIII, 419: ἐκ δὲ καρήνου
420: αὐχενίου τε τένοντος ὀπισθοκόμων ἐπὶ νώτων
421: ἰσοφανεῖς πλοκαμῖδες ἀκανθοφόροισιν ἐχίνοις
422: ἔρρεον ἰξύος ἄχρι κατήλυδες.

In capite igitur capilli, non in tergo saetae aluntur.

Maria, soror Lazari, dicitur καλλιέθειρα[9]) et ἠύκομος[10]).

---

[1]) Cf. Jo. XI, 2; XII, 3.
[2]) Par. I, 170; IV, 252.
[3]) Par. II, 57; VII, 35.
[4]) Par. II, 6 †.
[5]) Cf. Dion. XV, 328.
[6]) Cf. Hom. Il. XX, 39 †.
[7]) Cf. Dion. X, 207.
[8]) Cf. Hom. Il. II, 542.
[9]) Par. XI, 4; 8.
[10]) Par. XII, 13 †.

Apparet autem Nonnum omnino non discernere aliud ab alio vocabula *πλόκαμος, κόμη, χαίτη, ἔθειρα.* Promiscue enim Mariae comas capitis vocat *πλοκάμους* [1]), *χαίτην* [2]), dum ipsa dicitur *καλλίεθειρα* et *ἠύκομος.* Neque fieri potest, ut voce *πλόκαμος* tortos crines designaverit, vocabulo *χαίτη* capillos passos. Detersit enim Maria Christi pedes Par. XI, 6: *πλοκάμοις,* XII, 15: *μαχλάδι χαίτῃ.* Praeterea Christi crines Par. XX, 37 dicuntur *πλόκαμοι* sine ulla dubitatione crines non torti, iidemque Par. XX, 29: *χαίτη* vocantur.

Κόμη legitur Par. VIII, 96 et de Aeone

Par. VI, 178: *ἕως δολιχοῖο γενείου*

179: *ἀμφιλαφὴς πολιῇσι κόμην λευκαίνεται Αἰών.*

Γένειον autem mentum est vel barba, quae in mento alitur. Sic Annas dicitur *εὐρυγένειος* [3]). Sed ceteris locis, ubi haec vox occurrit de aevo dicta [4]), planum est non barbam sed generationem latam indicari, ita ut altera vocabuli pars a stirpe *γεν-* deducta sit.

Ὑπήνη legitur Par. XVIII, 93 †.

Vocabulo *κόσμος* paraphrasta centies utitur diversas notiones ei subjiciens, sc. significat N. 88.

1: rerum naturam, ut Par. I, 6; 7; Dion. II, 258.

2: homines, qui sunt in mundo, imprimis mundum nequam, saepissime, ut Par. I, 27; 29; passim. Qua in re Joannem sectatur.

3: ornatum, tantummodo Par. II, 97: *λίθων ἑτερόχροϊ κόσμῳ,* praeterea Dion. II, 594: *ὄφρα κεν ἀσκησειε νεοζεύκτῳ σέο νύμφῃ*

595: *ποικίλον αὐχένος ὁρμὸν ἐύχροον ἤνοπι κόσμῳ,*

V, 169; XVIII, 91; saepius.

4: coelum, Par. XVIII, 21 solummodo.

Primus Pythagoras rerum naturam *κόσμον* dixit propter ordinem ejus atque ornatum [5]). Deinde a philosophis vocabulum mutuati sunt poëtae et solutae orationis auctores, qui rerum naturam aut res ad philosophiam pertinentes descripserunt. Hi voce *κόσμος* significaverunt aut universam rerum naturam aut partem ejus sive terram sive coelum. Hac voce revera significari posse coelum efficitur e Plat. Tim. p. 28 B: *ὁ δὴ πᾶς οὐρανὸς — ἢ κόσμος ἢ καὶ ἄλλο ὅ τί ποτε ὀνομαζόμενος μάλιστ᾽ ἂν δέχοιτο, τοῦθ᾽*

---

[1]) Par. XI, 6.
[2]) Par. XI, 7; XII, 15.
[3]) Par. XVIII, 92.
[4]) Par. III, 79; VI, 147.
[5]) Cf. Plut. Mor. p. 886.

ἡμῖν ὠνομάσθω [1]), Isocr. Paneg. p. 78 C: τῆς γὰρ γῆς ἁπάσης τῆς ὑπὸ τῷ κόσμῳ κειμένης, Cleanth. in hymno Jovis:

σοὶ δὴ πᾶς ὅδε κόσμος ἑλισσόμενος περὶ γαῖαν,

Diod. III, 56: μεταγαγεῖν δ' αὐτοῦ (sc. ἀστρολόγου) τὴν προσηγορίαν ἐπὶ τὸν κόσμον, ἅμα μὲν τῷ δοκεῖν οἰκείως ἐσχηκέναι πρὸς τὰς τῶν ἄστρων ἐπιτολάς τε καὶ δύσεις καὶ τἆλλα τὰ γινόμενα περὶ τὸν κόσμον.

Ut pauca addam de natura mundi, mundus in Paraphrasi dicitur ἀπείριτος [2]), ἀτέρμων [3]) i. e. infinitus, indefinitus. Haec vocabula revocant animum ad memoriam τοῦ ἀπείρου Anaximandrei, quod philosophus perhibet principium et elementum τῶν ὄντων esse. Sed ἄπειρος nunquam, ἀπείρων [4]) bis tantum in Paraphrasi legitur neque conjungitur cum verbis κόσμος, γαῖα, πόντος [5]). Contra Nonnus quatuor elementis mundum constare contendit, ut patet Par. III, 82; XX, 94 verbis τετράζυγι κόσμῳ [6]). Qua in re Empedoclem sectatur. Idem mundus est ἀέναος [7]) sc. aeternus, cujus finis non erit. Sed mundi principium fuisse asserit. Ut enim praetermittam Par. II, 7: (λόγος) πρεσβύτερος κόσμοιο, legitur

Par. VIII, 126: ἐξότε κόσμου
127: ἐξ ἀρχῆς τετέλεστο θεμείλιον,
XVII, 14: οὔπω κτιζομένοιο θεμείλια πήγνυτο κόσμου.

Postremo dicitur

Par. XII, 123: νῦν ζαθέου κόσμοιο πέλει κρίσις. Hoc vocabulum ζάθεος occurrit tricies semel; saepius de Deo Patre; de Christo ejusque corporis membris, de ejus dictis vel factis [8]); de Sacra Scriptura [9]); aliquoties de locis et civitatibus Deo sacris vel in quibus Christus commoratus est [10]), in qua re sequitur Homerum [11]), Pindarum [12]); tum de omni re quodammodo sacra [13]); quin etiam

---

[1]) Cf. Plat. Tim. p. 40 A.

[2]) Par. I, 28; cf. VI, 31: χόρτος ἀπείριτος.

[3]) Par. XVII, 53; XVIII, 33; XXI, 143; ultimo loco Heinsius vertit: „rotundus"; cf. K. Kuiper, o. l. p. 348 [1]).

[4]) Par. XII, 31; XVIII, 190.

[5]) Cf. Hom. Il. VII, 446: Ζεῦ πά τερ, ἦ ῥά τίς ἐστι βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν.

[6]) Marcellus, Dion. XII, 169 vertit: „aux quatre régions du monde", et explanavit Tom. II, p. 317 (14).

[7]) Par. IV, 121; VI, 57; XIV, 121; XVI, 34 sq..

[8]) Cf. Par. XVI, 48; XVIII, 61; XX, 63; XIX, 195; cet..

[9]) Cf. Par. XIX, 186.

[10]) Cf. Par. VII, 95; IX, 117; XI, 107; XII, 53.

[11]) Cf. Hom. Il. I, 38; XV, 432; cf. Bintz, De usu et significatione adjectivorum epicorum apud Nonnum Panopolitanum s. v.

[12]) Cf. Pind. Pyth. V, 70.

[13]) Cf. Par. I, 135; XI, 226.

semel de homine, sc. de Abraham patre [1]), id quod rarissimum est apud poëtas antiquos [2]), sed magis usitatum apud poëtas christianos, qui voci notionem beati, glorificati subjiciunt [3]). Praeterea bis numeros vocat ζαθέους sc. Par. XVIII, 59: χιλιάδος ζαθέης, et XIX, 209: ζαθέης ἑκατοντάδος. Primo loco eum cohortem divinam vocare, ideo quod ad templum custodiendum pertinet, verisimile est. Altero loco numerum divinum dicit fortasse, quod mysticam notionem ei tribuit, ut Ambrosius in Luc. XXIII: „quasi libras centum, hoc est, perfectae fidei quantitatem" [4]); sive quod vocabulo liberius usus est, ita ut significet: „ingens". Mundus autem ζάθεος dicitur, propterea quod a Deo creatus est.

Ἱμάσθλη proprie est flagellum e loris factum, ἱμάσσειν autem flagellare loris. Hoc verbum in Paraphrasi adhibetur semper per translationem, sc. de morbo [5]), de partus doloribus [6]), de animo commoto [7]), de litore undis percusso [8]). Nomen ἱμάσθλη legitur ter scriptum de daemonis scutica [9]), semel de vera scutica N. 89.

Par. II, 77: καὶ ἐν παλάμῃσιν ἑλίξας
78: σύμπλοκον ἐκ σχοίνοιο νόθην [10]) ποίησεν ἱμάσθλην,

i. e. de fune, quo Christus mercatores de templo abigit, de vero flagello

Par. XIX, 5: ῥιγεδανῇ Χριστοῖο δέμας φοίνιξεν ἱμάσθλῃ.

Voce ἀχάρακτος Nonnus ter utitur, sc. Par. IX, 5; XIX, 4; XX, 4; verbo χαράσσειν i. e. acuere, incidere, octies, sc. cum loquitur de arte scribendi [11]), haud secus ac χάραγμα Par. XII, 130 †; bis, cum Jesus caeco nato oculorum orbes manu et luto circumscripsit et incidit [12]), de remis aquam secantibus [13]), de aurora [14]). Praeterea Dion. V, 404; X, 180 dicitur de prima lanugine genas signante. Vocabulum ἀχάρακτος adhibet, praeter Dion. XLV, 121: ἔχων ἀχάρακτον ὑπήνην de juvene imberbi, Par. IX, 5 de N. 90.

[1]) Cf. Par. IV, 56.
[2]) Cf. Anth. IX, 525 de Apolline.
[3]) Cf. Anth. I, 10, 7; VIII, 57, 83. 150.
[4]) Cf. M. P. L. XV, 1839.
[5]) Cf. Par. IV, 214; VI, 5; XI, 9.
[6]) Cf. Par. XVI, 73.
[7]) Cf. Par. XI, 111.
[8]) Cf. Par. VI, 88.
[9]) Cf. Par. VIII, 145; 147; XVII, 35.
[10]) Cf. Par. XIII, 20; Dion. II, 109: utroque loco νόθην μίτρην legitur.
[11]) Cf. Par. II, 89; VII, 160; cet..
[12]) Cf. Par. IX, 32; 76; cf. totam pericopen Par. IX, 1 sqq.; cf. K. Kuiper, o. l. p. 371 sqq..
[13]) Cf. Par. VI, 72.
[14]) Cf. Par. VI, 85.

caeci nati oculo natura non inciso; XIX, 4 de Barabba fustibus non caeso neque inciso; XX, 4 de Lucifero. Hoc loco legitur:

νυκτιφανὴς ἀ χ ά ρ α κ τ ο ς ἑ ῴ ι ο ς ᾔιεν ἀ σ τ ή ρ.

Cui comparentur

Par. VI, 84: ἀλλ' ὅτε πορφύρων Τιβερηίδα γείτονα πέτρην
85: ἀκροφανὴς ἐ χ ά ρ α ξ ε λιπόσκιον ὄρθρος ὀμίχλην,
Dion. III, 55: ἀλλ' ὅτε πορφυρέοιο παρὰ πτερὸν αἴθοπος Εὔρου
56: ἄκρα χ α ρ α σ σ ο μ έ ν η ν ὑπὸ ῥωγάδα Τευκρίδος Ἴδης
57: ὄρθρον ἀποπτύουσα φάνη λιμενοσκόπος Ἠώς,
58: ἀντιπόρου μέλαν οἶδμα καταυγάζουσα θαλάσσης.

His duobus locis verbum χαράσσειν dicitur de radiis solis nebulam vel summos montes ferientibus, quibus purpurascunt. Unde Lucifer nondum solis radiis ictus ἀχάρακτος est itaque nondum languescit.

N. 91. Ἀ κ ί χ η τ ο ς — ἀ μ ά ρ τ υ ρ ο ς — ἀ π ρ ο ϊ δ ή ς.

Ἀ κ ί χ η τ ο ς — Par. I, 1; VII, 123; VIII, 94; 191; X, 139; XII, 2; XIII, 137; XIV, 18; 53; XIX, 178; 227.

Hujus vis propria est: „qui (manu) capi non potest". Sic dicitur de Christo, quem inimici capere non possunt Par. VII, 123; VIII, 191; X, 139; XII, 2[1]); deinde de via, quam Dominus faciet eamque sequi discipuli nequeunt Par. XIII, 137; XIV, 53; tum de aevo, quod assequi nemo potest

Par. VIII, 93: ἕως χρονίῃ παρὰ νύσσῃ
94: ἱππεύων ἀ κ ί χ η τ ο ς ἑλίσσεται ἔ μ π ε δ ο ς α ἰ ώ ν.

Deinceps Nonnus vocem adhibet de eo, qui mente apprehendi nequit i. e. penitus cognosci non potest, ut

Par. XIV, 18: μ έ τ ρ α πόθεν δυνάμεσθα μαθεῖν ἀ κ ί χ η τ α κ ε λ ε ύ θ ο υ,

quo circumscribitur Jo. XIV, 5: πῶς οἴδαμεν τὴν ὁδόν;

Par. XIX, 178: ἀλλὰ θορὼν ἀ κ ί χ η τ ο ς ἀ ν ὴ ρ ἀνεμώδεϊ λόγχῃ
179: πλευρὴν πασιμέλουσαν ἀφειδέι νύξε μαχαίρῃ;

quo loco idem est atque „ignotus" [2]);

Par. I, 1: Ἄχρονος ἦν, ἀ κ ί χ η τ ο ς, ἐν ἀρρήτῳ λ ό γ ο ς ἀρχῇ,

quo Verbum Dei incomprehensibile esse dicitur.

Denique

Par. XIX, 227: καὶ πάλιν εἰς δόμον ἦλθε λαθὼν ἀ κ ί χ η τ ο ς Ἰ ω σ ή φ,

idem significat ac „clam", „non sentiente aliquo". Haud secus

Dion. IX, 92: ὣς εἰπὼν ἀ κ ί χ η τ ο ς ἐς οὐρανὸν ἔδραμεν Ἑ ρ μ ῆ ς.

Ἀ μ ά ρ τ υ ρ ο ς — Par. II, 118; III, 3; X, 33; XIX, 224; XX, 105.

---

[1]) Cf. Hom. Il. XVII, 75: ἀκίχητα διώκων.

[2]) Cf. K. Kuiper, o. l. p. 351, qui loco laudato vocem ἀκίχητος vertit: „snel"; sed haec versio locis parallelis laudatis minus consona mihi esse videtur.

Significat: „id, cujus testis non est", i. e. „latens, clandestinus". Unde de Nicodemo legitur scriptum

Par. III, 3: *ἀμάρτυρος οὗτος ὁδίτης*
4: *Χριστῷ νυκτὸς ἵκανε φυλασσομένῳ ποδὶ βαίνων*[1]),

de Josepho clam Dominum sepeliente Par. XIX, 224; de fure oves surripiente Par. X, 33; de abstrusis hominum cogitationibus Par. II, 118; de Domino, postquam ab inferis surrexit, via, quae a nullo homine videtur, aëria discipulis apparente

Par. XX, 105: *δι' ἠέρος ἦλθεν Ἰησοῦς*
106: *κοίρανος ἠνεμόφοιτος ἀμάρτυρον οἶμον ἀμείβων.*

Ἀπροϊδής — Par. I, 28; V, 94; VII, 167; VIII, 193; XII, 173; XIV, 120; XIX, 194; XX, 118.

Ejus vis est: „ante non visus". Unde latius patet, ut sit „improvisus, subitus". Sic a Nonno adhibetur omnibus locis laudatis, exceptis Par. I, 28; XII, 173; XIX, 194[2]). His locis significat: „clandestinus, furtivus". De Verbo enim dicitur

Par. I, 27: *ἔην δ' ἐν ἀπειθέι κόσμῳ*
28: *ἀπροϊδής*, ita ut Verbum esset in mundo, non tamen videretur neque cognosceretur; de fide autem clandestina et abscondita magistratuum quorundam Judaeorum legitur

Par. XIII, 172: *ἐνδόμυχος τότε πίστις ὑπὸ φρένα φωτὸς ἑκάστου*
173: *ἀπροϊδής, ἀβόητος, ἐκεύθετο φωλάδι σιγῇ,*

de Josepho ab Arimathaea

Par. XIX, 192: *καὶ Πιλάτον μετέπειτα λαθὼν ἱκέτευεν Ἰωσήφ,*
193: *τάρβος Ἰουδαίων πεφυλαγμένος· ὅς ῥα καὶ αὐτὸς*
194: *ἀπροϊδὴς Χριστοῖο φιλήκοος ἔσκε μαθητής*[3]).

His igitur locis *ἀπροϊδής* idem est ac „non (ante se) visus".

Σοφός. N. 92.

Huic vocabulo aliae aliis locis notiones subsunt. Apud Joannem non occurrit. Prima et antiqua significatio est „aptus, peritus", imprimis arte fabrili, ut *σοφία* apud Homerum

Il. XV, 411: *ὅς ῥά τε πάσης*
412: *εὖ εἴδῃ σοφίης*, et Eur. Alc. 348: *σοφῇ χειρ τεκτόνων.*

---

[1]) Cf. Par. XIX, 204 sq..

[2]) Cf. Dion. IX, 245: *ἀπροϊδὴς Ἀθάμαντος ἐπιβρίσασα μελάθρῳ*, ubi Hera se praecipitat subito in Athamantis domum.

[3]) Cf. Dion. IX, 102: *ἀπροϊδῆ ζοφόεντι κατεκλήϊσσε βερέθρῳ*, quo Mystis Dionysum infantem abscondit, ita ut videri nequeat.

Talis autem hujus vocabuli significatio in Paraphrasi non habetur nisi
Par. XIX, 9: ἐπὶ χροΐ πέπλα βαλόντες
10: Σιδονίης στίλβοντα σοφῷ σπινθῆρι θαλάσσης,
103: ἣν δὲ σοφῷ καλάμῳ τετυπωμένον· οὗτος Ἰησοῦς cet..

Tum latius patet σοφός, ita ut valeat: „sapiens, prudens", ut Par. I, 161; IX, 163;
XIX, 39: καὶ σοφὸς ὡς κλύε τοῦτο δικασπόλος ἔτρεμεν ἀνήρ.

Sic Par. III, 162: VII, 65; 135 σοφία sapientia est. Deinde significat: „bonis moribus praeditus, bonis moribus consentaneus, pius, sanctus", ut Par. I, 89; 157; 178; III, 114; 132; IV, 110; 233; V, 40; VII, 42; 44; 76; 160; VIII, 105; XI, 145; XII, 73; 93; 131; XIII, 71; XIV, 25; 91; XV, 16; XVI, 103; XVII, 89;
Par. XVIII, 94: ἀμφὶ σοφῶν ἑτάρων, οὓς κοίρανος εἶχε μαθητάς,
95: καὶ διδαχῆς ὁσίης, ubi hoc haud dictum est per ludibrium nomine Annae pontificis, sed de suo paraphrasta pius inseruit; XIX, 195; XXI, 5; 139. Sic σοφία est pietas
Par. XIX, 116: καὶ σοφίης πλήθοντι θεὸς πάλιν ἔννεπε Πέτρῳ.

Denique dicitur de rebus, dictis, factis, ut declaretur ea esse idonea atque accomodata ad id, quod quis indicare vel efficere vult, ut Dion. VII, 195: τόξου
196: ἑλκομένου ῥοίζησε σοφὸν βέλος Εὔιον ἠχώ,
XIX, 220: καὶ ποδὸς εὐρύθμοιο σοφὴν ἀνεσείρασεν ὁρμήν.

Sic saepius σοφός, de rebus Christi dictum, significat: „aptus ad opus mirabile faciendum, mirus", ut Par. IV, 41; VI, 135, VII, 15; IX, 59; XII, 119; 145;
Par. XIV, 45: εἰ μὴ ἐμοὶ πείθεσθε, σοφοῖς πιστεύσατε μούνοις
46: ἔργοις ἡμετέροισιν. Itaque salva semper vi ac notione: „aptus, peritus", vocabulum σοφός latius patet, ut indicet qualescunque homines vel ipsum Deum cujusvis rei peritos et quaslibet res rebus quibuslibet aptas.

N. 93. Ἀεσίφρων — παρήορος.

Vox ἀεσίφρων usurpatur de eo, qui mente captus est, sive stultitia, cupiditate occaecatus, sicut de Eurytione dicitur apud Homerum, Od. XXI, 297: φρένας ἄασεν οἴνῳ,
301: ὁ δὲ φρεσὶν ᾗσιν ἀασθεὶς
302: ᾔιεν ἣν ἄτην ὀχέων ἀεσίφρονι θυμῷ.

Contra homo prudens et sapiens dicitur ἔμπεδος, ut
Il. XX, 183: ὅ δ' ἔμπεδος οὐδ' ἀεσίφρων, i. e. firmi consilii, ut

Par. XV, 17: πᾶς βροτὸς ἐμπεδόμητις ὁμόπλοκος εἰς ἐμὲ μίμνων.
Eodem modo atque Homerus Nonnus voce ἀεσίφρων utitur
Par. VIII, 189; XVIII, 109: ἀεσίφρονι θυμῷ i. e. animo occaecato;
Dion. I, 147: Τάνταλον οὐρανίων ἀεσίφρονα φῶρα κυπέλλων.
Vocis παρήορος eadem vis est atque vocabuli ἀεσίφρων
Il. XXIII, 603: ἐπεὶ οὔτι παρήορος οὐδ' ἀεσίφρων
604: ἦσθα πάρος. Per translationem igitur significat eum, qui a sana mente deflectit, cum propria vocabuli vis est: „equus funalis".

Nonnus, quamquam synopticorum evangeliis interdum tantummodo usus est, solius Joannis vestigiis insistens ipsumque circumscribens, ea tamen optime cognovit. Id patet praesertim ex iis pericopis, quae Joanni et synopticis communes sunt. Insignia quaedam, plerumque variis opusculi numeris dispersa, collecta afferam. N. 94.

Par. VI, 62—83 circumscribitur Jo. VI, 16—21, quibus versibus Christus super maris undas ambulasse narratur. Idem narrant Matth. XIV, 24—33; Marc. VI, 47—52.
In hac autem pericope legitur
primum: Par. VI, 72: καὶ δολιχοῖς ἐλατῆρες ὕδωρ ἐχάρασσον ἐρετμοῖς
73: ἀντιπόροις ἀνέμοις βεβιημένον,
Matth. XIV, 24: ἦν γὰρ ἐναντίος ὁ ἄνεμος,
Marc. VI, 48: ἦν γὰρ ὁ ἄνεμος ἐναντίος αὐτοῖς,
Jo. VI, 18: ἥ τε θάλασσα ἀνέμου μεγάλου πνέοντος διεγείρετο,
cum ventum adversum fuisse diserte non commemorat;
deinde: Par. VI, 77: ταρβαλέοι δ' ἀλάλαζον,
Matth. XIV, 26: καὶ ἀπὸ τοῦ φόβου ἔκραξαν,
Marc. VI, 49: καὶ ἀνέκραξαν,
Jo. VI, 19: καὶ ἐφοβήθησαν, clamoris mentione non facta;
tum: Par. VI, 80: καὶ μέσον ἅλμης
81: ἦν τοτε, Marc. VI, 47: ἦν τὸ πλοῖον ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης.
At Joannes de medio mari tacet.

Par. VII, 8 sqq. circumscribitur Jo. VII, 3 sqq., quo fratres Domini eum increpant. In Paraphrasi autem legitur
Par. VII, 9: γνωτοὶ ψευδαλέοι τετράζυγες υἷες Ἰωσήφ,
Matth. XIII, 55: οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ Ἰάκωβος καὶ Ἰωσὴφ καὶ Σίμων καὶ Ἰούδας,
Marc. VI, 3: ἀδελφὸς Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆτος καὶ Ἰούδα καὶ Σίμωνος,
Jo. VII, 3: εἶπον οὖν πρὸς αὐτὸν οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, sed de eorum numero non loquitur.

Par. XII, 1—50 explanatur Jo. XII, 1—11, ubi Domini pedes Mariam unxisse evangelista narrat. Idem habent Matth. XXVI, 6—13; Marc. XIV, 3—9. Hic apud Nonnum legitur scriptum

Par. XII, 19: *τίπτε τριηκοσίων οὐ πέρναται ἤ τινι μέτρῳ*

20: *πλείονι δηναρίων τόδε που μύρον;*

Marc. XIV, 5: *ἠδύνατο γὰρ τοῦτο τὸ μύρον πραθῆναι ἐπάνω δηναρίων τρακοσίων,*

Jo. XII, 5: *τριακοσίων δηναρίων,* omisso majori pretio.

De apostolornm numero duodenario legitur

Par. XIII, 126: *ἀλλ' ὅτε νόσφι βέβηκε δυωδεκάριθμος Ἰούδας,*

Matth. XXVI, 14: *εἷς τῶν δώδεκα,* praeterea 47;

Marc. XIV, 10: *εἷς τῶν δώδεκα,* praeterea 20; 43;

Luc. XXII, 3: *ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν δώδεκα,* praeterea 47, ut ceteri.

Jo. XIII, 31: *ὅτε οὖν ἐξῆλθεν,* nunquam numerum addit, nisi

Jo. VI, 71: *εἷς ἐκ τῶν δώδεκα.*

Par. XVIII, 1—11 Nonnus hortum, in quem Christus ingressus est, describit; de eo Jo. XVIII, 1 dicitur tantummodo: *ὅπου ἦν κῆπος.* Conferenda sunt Matth. XXVI, 30; 36; Marc. XIV, 26; 32; Luc. XXII, 39 sq.. Hunc hortum silvam fuisse paraphrasta declarat

Par. XVIII, 7: *φυταλίην,* 8: *φυτηκόμον ἄλσος.* De silva Joannes non loquitur, verum de olivis synoptici.

Praeterea Par. XVIII, 6: *ἐθήμονος (παραδείσου)* in memoriam revocat illud Luc. XXII, 39: *κατὰ τὸ ἔθος.*

Postremo Par. XVIII, 11: *αὐλίζετο*[1]) fortasse Nonnus mutuatus est a Luc. XXI, 37: *ηὐλίζετο εἰς τὸ ὄρος τὸ καλούμενον ἐλαίων*[2]).

Par. XVIII, 12—15 legitur Judam accepisse cohortem et

14: *σύνδρομον ἄλλον ἔχων κορυνηφόρον ἑσμὸν ὁδίτην,*

Matth. XXVI, 47: *καὶ ξύλων,*

Marc. XIV, 43: *καὶ ξύλων,*

Joannes de fustibus non loquitur; cf. n. 42.

Matth. XXVI, 47: *ὄχλος πολύς,*

Marc. XIV, 43: *ὄχλος,*

Luc.XXII, 47: *ὄχλος.*

Jo. XVIII, 3: *ὑπηρέτας,* sed Nonnus: *ἑσμόν.*

Par. XVIII, 12: *καὶ στρατὸν ἀσπιστῆρα* cet. et Par. XVIII, 58 sqq.: *φύλαξ δ' ἱεροῖο μελάθρου* cf. n. 43.

Par. XVIII, 70: *τηλόθι* cf. n. 18.

---

[1]) Cf. Par. XVIII, 99. [2]) Cf. Matth. XXI, 17: *καὶ ηὐλίσθη ἐκεῖ.* Verbum in Novo Testamento bis tantummodo legitur scriptum.

Par. XVIII 89: *καὶ μέσος αὐτῶν,* quo legitur Jo. XVIII, 18: *μετ' αὐτῶν* fortasse sumpsit Nonnus a Luc., XXII, 55: *ἐκάθητο ὁ Πέτρος μέσος αὐτῶν.*

Par. XVIII, 131: *εἰς δόμον αὐχήεντος ἐκώμασεν ἡγεμονῆος,* de Pilati magistratu cf. n. 32.

Par. XVIII, 149: *ὁ δὲ φθόνον ὀξὺ νοήσας,* de pontificum invidia cf. n. 29.

Par. XVIII, 178: *ἀληθείης ζυγὸν ἕλκειν,* de veritatis jugo trahendo cf. n. 50.

Par. XVIII, 192: *ὃς πέλε ληιστὴρ θανατηφόρος,* de Barabba latrone cf. n. 35.

Par. XIX, 1—4 enarratur Barabbam esse dimissum, de quo cf. n. 51.

Par. XIX, 6, sqq. *προσκύνησις* describitur, de quo cf. n. 52.

Par. XX, 9: *ἀμφὶ δὲ κόλπῳ*
10: *πενθαλέον μύρον εἶχεν.* Legitur scriptum Marc. XVI, 1 sq.; Luc. XXIV, 1; desideratur apud Joannem. Cf. n. 38.

Par. XX, 90: *δεῖξε πόδας καὶ χεῖρας ὁμηγερέεσσι μαθηταῖς*
91: *ἡλοτύπους πλευρήν τε νεούτατον,* quo Jo. XX, 20: *τοὺς πόδας* omisit, Lucas autem XXIV, 40 pedibus commemoratis latus omisit. Sed Nonnus Joannem secutus lateris mentionem facit, pedum praeterea mentione facta e Luca.

Par. XXI, 94: *ἀνδρομέης ἀγέλης ἁλιεὺς ἐφθέγξατο Σίμων,* de Petro, hominum piscatore cf. n. 19 [1]).

[1]) Ceterum cf. K. Kuiper, o. l. p. 345 sqq..

THESES.

I

Nonnianae evangelii interpretationis vis atque auctoritas non inventionis felicitate, sed Patrum Ecclesiae sententiarum mutuatione constituitur.

II

Minime faciendum est cum v. cl. G. Vollgraff, qui Mnemos. 1916, p. 337 legendum esse putat:

Plut. Vit. Caes. 67: *Ἀντώνιος δὲ καὶ Λέπιδος οἱ μάλιστα φίλοι Καίσαρος ὑπεκδύντες εἰς οἰκίας <ἕτεροι> ἑτέρας κατέφυγον,*
et Herod. III, 51: *ἀπελαυνόμενος δ' ἂν ἤιε ἐπ' ἑτέρην ἑτέρων* pro *τῶν ἑταίρων.*

III

Dem. Phil. 1, 31: *λογίσαισθ', ὅτι τοῖς πνεύμασιν καὶ ταῖς ὥραις τοῦ ἔτους τὰ πολλὰ προλαμβάνων διαπράττεται Φίλιππος,* cet..

Verba: *τοῖς πνεύμασιν καὶ ταῖς ὥραις τοῦ ἔτους* non textui, sed margini textus adscribenda sunt.

IV

Dem. Ol. 1, 19: *περὶ δὲ χρημάτων πόρου, ἔστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χρήμαθ' ὑμῖν, ἔστιν ὅσ' οὐδενὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων στρατιωτικά.*
Verbum *οὐδενί* mutandum est in *οὐδέσι.*

V

Xen. Anab. I, 5, 11: *ἀμφιλεξάντων δέ τι ἐνταῦθα τῶν τε τοῦ Μένωνος στρατιωτῶν καὶ τῶν τοῦ Κλεάρχου ὁ Κλέαρχος κρίνας ἀδικεῖν τὸν τοῦ Μένωνος πληγὰς ἐνέβαλεν.*

Verba: *τῶν τε τοῦ Μένωνος στρατιωτῶν* corrigenda sunt in: *τῶν τε Μένωνος του στρατιωτῶν.*

VI

Strab. IV, 1, 14; IV, 4, 2; VII, 1, 2 minime probant Gallos a Germanis ethnographice, ut dicunt, non differre (Cf. Bijdragen voor Vaderlandsche Geschiedenis en Oudheidkunde 1917 — De Kelten, Dr. J. Holwerda).

VII

Cic. in Catil. 3, 5, 11: Si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem.

Conjunctivus „vellet" injuria a v. d. Blase (Wochenschrift f. klass. Phil. 1915, n° 47, col. 1116) habetur pro futurali — potentiali; est autem conjunctivus obliquus.

VIII

Catull. XXII, 7: novi umbilici, lora rubra, membranae,
8: derecta plumbo et pumice omnia aequata.

Legendum est: „membranae", non autem membrana.

IX

Catull. LXXXIV, 11: Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
12: jam non Ionios esse, sed Hionios.

Hi versus explicandi sunt de mari Ionio taedio hiante, non autem de Arrio quodam fluctibus Ioniis submerso.

X

Tacit. Dial. de or. VI, 6: nam in (add. B^2, om. cet.) ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia (om. C D) diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen, quae sua sponte nascuntur.

Locus, aliis viris doctis alias conjecturas facientibus, mutandus non est.

XI

Tacit. Dial. de or. XIII, 3: Ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio vel dignitate vitae vel perpetuitate famae cesserit.

Verba: „perpetuitate famae" interpretanda sunt de Pomponio deque Domitio, dum agunt inter vivos, non autem de fama post mortem durante.

XII

Contendendum est, ut hodierna linguae Latinae Romana pronuntiatio ubique terrarum recipiatur.

XIII

Hujus aetatis studiorum linguisticorum, ut novo vocabulo Latino utar, ratio omnibus, qui litterarum antiquarum studiosi sunt, persequenda est.

XIV

In Diodori libro XI, ubi res graecae annis 480—451 a. Chr. n. actae describuntur, observato: Temporum ordini fides tribuenda non est.

XV

Eion oppidum anno a. Chr. n. 476/75 ab Atheniensibus expugnatum est.

XVI

Pausanias anno a. Chr. n. 472/71 a Lacedaemoniis condemnatus est.

XVII

Aristoteles de rep. Ath. 25, 3 a Themistocle Areopagum honore et potestate spoliatum fuisse injuria perhibet.

XVIII

Pompejus anno a. Chr. n. 62 Brundisii exercitum dimisit, propterea quod Romae rerum potiri noluit.

XIX

'Αντίδοσιν interdum consequebatur mutatio bonorum, sententia a judicibus non pronuntiata.

XX

Temporibus reipublicae senatores curiatim lecti non sunt.

XXI

Notione, qui sua aetate *Λόγος* dicebatur, correcta Joannes philosophico theologiae fundamento utitur.

XXII

Lactantius, Epit. Inst. Div. 28 jure de multis deorum cultoribus: „i n e s s e", inquit, „numen simulacris et imaginibus credunt."
